PAGANINVS GAVDENTIVS DE CANDORE POLITICO

DE CANDORE POLITICO IN TACITVM DIATRIBÆ XIX

PAGANINI GAVDENTII

Doctoris Theologi, Philosophi, Iurisconsulti, qui ipsos octo decim annos in Gymnasij Pisani magna aula Politicen & historiam est interpretatus, hodieque interpretatur. præmittitur exercitatio ad Famianæam historiam,

Defenditurque idem Tacitus.

PISIS

Ex Typographia Philippi Papinj. M.DC.XLVI.

Superiorum Permissu.

Clarissimo Medico atque Philosopho

IOHANNI BAPTISTAE

S O N C I N O

PATRITIO BRIXIENSI,

Medicinæ Practicæ (vt vocant) in Gymnasio Pisano Professori Ordinario.

TALIS cum sit tua erga me beneuolentia, vt eam prope quotidie nouis argumentis comprobes, noua ratione exerceas, ego vicissim cum paria tecum facere non possim, saltem conor, quantū tibi debeam, apud omnes testatum facere. Hinc nuper Etruscum carmen de tuo Natali composui. cum verò ea ipsa die apud te aliquot amici cœnassemus, in multam noctem philosophando confabulati, eiusmodi conuiuiū veteres imitatus scripto, quale potuit mea tenuitas dictare, sum complexus. Quo quidem non contentus, cum iam diatribas in Tacitum cum exercitatione ad Famianæam historiam euulgem, eas tibi inscribere non dubito, gratum animum erga te tali inscriptione apud omnes comprobaturus, ratus etiam gratiorem fore librum tuo auspicatissimo nomine insignitum: iampridem enim ob eximiam doctrinam in re Medica inclaruisti apud Italos, ad exteros quoque

por-

porrecta fama, cum non sine magna laude eandem Medicinam in Patauino Gymnasio, quod doctissimis Medicis nunquam caruit, aliquamdiu docendo professus in hanc Academiam à Serenissimo Magno Duce honestissimo stipendio euocatus fueris, quo munere sic hactenus es functus, fungerisque vt maioris indies ab omnibus, ac præsertim ab ipso Serenissimo Magno Duce, cui acceptus es, fias. Ergò cum tua apud viros doctos in Italia, atque etiam extra Italiam non sit exigua auctoritas, nullus dubito aliquid dignitatis ab ea rediturum ad opus, quod publicæ luci committo, speroque fore, vt tui quoque causa ei faueant lectores. Vale vir eximie, & me meaque opera tua beneuolentia prosequi perge. Pisis Cal. Febr. MDCXLVI.

Tibi, Vir clarissime,

Addictissimus
Paganinus Gaudentius

Iu

EXCELLENTISSIMI DOCTORIS
ETRVSCVM
CARMEN.

NEL giorno alla dea Pallade ſi caro
Giorno natal dell' inclito SONCINO,
Che con la mente ed intelletto fino
Scuopre e cōtēpla il Vero eccelſo raro;

Ceſſi l'influſſo liuido e diſcaro
Di quel Pianeta, che l'human camino
Eſpone a' paſſi erranti e al rio deſtino,
Temprando il dolce mel col crudo amaro;

E ſparga puri rai benigno Gioue,
Stella propizia all'amicizie vere,
Che ſerena riſplende, accioche gioue;

Queſte drizzo ver Lei preci ſincere,
Sperando che faran famoſe proue
Contra l'inuido Veglio inuitte fiere.

porrecta fama, cum non sine magna laude eandem Medicinam in Patauino Gymnasio, quod doctissimis Medicis nunquam caruit, aliquamdiu docendo professus in hanc Academiam à Serenissimo Magno Duce honestissimo stipendio euocatus fueris, quo munere sic hactenus es functus, fungerisque vt maioris indies ab omnibus, ac præsertim ab ipso Serenissimo Magno Duce, cui acceptus es, fias. Ergò cum tua apud viros doctos in Italia, atque etiam extra Italiam non sit exigua auctoritas, nullus dubito aliquid dignitatis ab ea rediturum ad opus, quod publicæ luci committo, speroque fore, vt tui quoque causa ei faueant lectores. Vale vir eximie, & me meaque opera tua beneuolentia prosequi perge. Pisis Cal. Febr. MDCXLVI.

Tibi, Vir clarissime,

Addictissimus
Paganinus Gandentir

Ip

In Natalem eiuſdem

EXCELLENTISSIMI DOCTORIS

E T R V S C V M

C A R M E N.

NEL giorno alla dea Pallade ſi caro
Giorno Natal dell' inclito SONCINO,
Che con la mente ed intelletto fino
Scuopre e cõtẽpla il Vero eccelſo raro;

Ceſſi l'influſſo liuido e diſcaro
Di quel Pianeta, che l'human camino
Eſpone a' paſſi erranti e al rio deſtino,
Temprando il dolce mel col crudo amaro;

E ſparga puri rai benigno Gioue,
Stella propizia all'amicizie vere,
Che ſerena riſplende, accioche gioue;

Queſte drizzo ver Lei preci ſincere,
Sperando che faran famoſe proue
Contra l'inuido Veglio inuitte fiere.

LE.

LECTORI

EXERCITATIONIS

Ad Famianaeam historiam.

DVM excuditur exercitatio ad Famiani historiam, opusculum paucorum dierum opera compositum, ex sermone grauium virorum intellexi à Patribus Societatis Iesu, quorum ingens apud omnes auctoritas est, molestè admodum ferri eiusmodi scriptiunculæ editionem. Hinc etiam factum, vt vir prudentissimus, optimeque erga me affectus mihi magnopere fuerit eiusmodi editionis omittendæ author. Cui profectò paruissem, nisi iam cœpisset excudi libellus. putaui namque inauspicatò omitti, quod feliciter videbar aggressus. hinc prolatis verbis Cæsareis: iacta esto alea perrexi in deducendis ad vmbilicum chartis, in quibus primum conflandis sic stylo calamoque fueram moderatus, vt longè alia sint deprehensuri doctissimi patres ab ijs, quæ fama tam falsi fictique tenax quam nuncia veri ad eos forte hactenus pertulit. more namque veterum non contra sed ad Famianæam historiam scripsi, vt iurisconsulti, qui suspicientes Papinianum aliosque ad ipsorum pulcherrima opera aliquid exarabant, vt & nuper fecit eruditissimus Merillus euulgatis ad

Cu-

Cuiacium, quem admiratur, libris. nec tamē summi viri omnibus dictis subscribit, dum se in indaganda veritate exercet. Ita & ego fœneratus à splendore Famianeo meis tenebris aliquid lucis excurri ad eius historiam conando, tentando, moliendo potius quam colligendo, peragendo, pronunciando, cum norint sapientes viri, quibus constat societas Iesu, quosque inter fulget non obscurè Famianus, intricata valde esse, & difficultati obnoxia, quæ de iure alicuius belli promuntur, cum quisque satagat suam orbi probare causam, ne mirentur si exercitatio mea nō illico pedibus manibusque it in verba omnia tanti historici, qualis quidem est Famianus. At, inquies, in limine videris impingere dum asseris à Patribus Famianum aut æquari, aut etiam præferri Liuio, à qua quidem opinione quam remotissimi sunt. Ego verò dico, si patres assererent Famianum esse Liuium christianum, vt S. Hier. appellauit Iosephū Liuium græcum, non offendendas vsque adeò aures virorum doctorum: hoc enim ostenderet non absimilem Liuio esse Famianū, perque scriptoris patauini vestigia ipsum incedere. nec ego absolutè affirmaui à patribus exæquari aut etiam præferri Famianum Liuio, vt initiū primi capitis in mea exercitatione indicat. gaudeo autē ea super re nobis cum conuenire, nec locum esse altercationi, de prerogatiua Liuij quando agitur. Nec erit proptera eiusdem primi capitis lectio inanis, nam, saltem intelligemus quatenus recentiores, quos inter Famianus præclarum locum obtinet, collati cum veteribus sint commendandi, laudandi. Vale.

† IN-

INDEX
CAPITVM
Quæ continentur in exercitatione ad Famianæam historiam.

CARMINA

ADDENDA EXERCITATIONI.

INDEX CAPITVM

DIATRIBÆ IN TACITVM.

De-

CAPITA

DIATRIBAE SEXTAE.

CAPITA

DIATRIBAE SEPTIMAE

C A P I T A

DIATRIBÆ OCTAVÆ

C A P I T A

DIATRIBAE NONAE.

CAPITA

DIATRIBAE DECIMAE.

CAPITA

DIATRIBAE VNDECIMAE.

C A P I T A

DIATRIBÆ DVODECIMAE.

C A P I T A

DIATRIBAE XIII.

CA-

CAPITA

DIATRIBAE XIV.

CAPITA

DIATRIBAE XV.

CA-

CAPITA

DIATRIBAE XVI.

CAPITA

DIATRIBAE XVII.

C A P I T A

DIATRIBAE XVIII.

C A P I T A

DITRIBAE XIX.

Alli

ALLI

SIGNORI

SCOLARI

Dello Studio di Pisa nell'anno 1645. nel principio di Nouembre.

SONETTO.

ACALCAR di virtude il pio sentiero,
Ed imparar le discipline belle,
A vincer l'Ignoranza, e le rubelle
Sue suore, guereggianti contra il Vero:
A solleuar l'ingegno, e farlo fiero
Col segregarsi dala plebe imbelle,
C'humil mira la terra, e non le stelle,
E sfortunate di Pallade all'impero,
O Generosi GIOVANI, partiti
Dala natia magion, lieti arriuaste
D'Alfea, e dell'Arno a'lidi almi graditi.
Dunque seguaci delle Diue caste,
Secondando de'Saggi gli alt'inuiti,
Spronate l'alme ale dottrine vaste.

In approbatione carminum addendorum, omissum est verbum: Imprimatur Fr. Ludouicus &c. & nomen Alexandri Victorij, quod reperitur in autographo.

AD

INDEX CAPITVM

APPENDICIS EXERCITATIONIS Ad Famianæam historiam.

Qua-

INDEX CAPITVM

DIATRIBÆ SECVNDÆ In Tacitum.

CA-

CAPITA

DIATRIBAE TERTIAE.

CAPITA

DIATRIBAE QVARTAE

De

CAPITA

DIATRIBAE QVINTAE.

CA-

AD
FAMIANEAM
HISTORIAM
EXERCITATIO
PAGANINI
GAVDENTII

AD LECTOREM

EPIGRAMMA.

DVM Famianæas, victura volumina, chartas
Verſans excutio haud ſegniter hiſtoriã
Narrantem Belgarum iras, certamina Iberûm,
Albani faſtum, Naſſauijq. dolos,
Hæc lubuit, lector, fidæ mandare papyro,
Quæ ſubeunt oculos, libera verba tuos,
Verba, quibus Stradam, quo non facundior alter,
Ad Veri fines, ad trutinamq. voco,
Vt librum decorem creta, niueoq. lapillo,
Sic tamen vt furuus paucula carbo notet.

Ad Clarissimos Viros

BARTHOLOMÆVM CHESIVM, ET IOSEPHVM LVPVM

Iuris Ciuilis in Gymnasio Pisano interpretes, approbatores exercitationis tetrastichon Authoris.

CHesius atq. Lupus, celebris pars magna Lycêi
Ornârunt librum hunc candidiore nota.
Ergò Duûm clypeo tectus tutusq. Virorum
Ibit inoffenso per loca clara pede.

An Famianus Liuio æquandus, aut præferendus? Cap. I.

ALIQVOS audire est narrantes à Patribus Societatis Iesu tanti fieri, tantopereq. alijs commendari historiam Famianæam, ut Liuianam vocare non dubitent, Famianumq. Liuio exæquare, aut etiam præferre pergant. Cum enim Christianus sit Famianus, & narrando bellum Belgicum multa ad decus immortale Religionis Catholicæ facientia recenseat eleganti inprimis lacteoq. stylo, cui admixtæ præclaræ sententiæ, cur non fas fuerit ipsum Liuio componere, aut etiam præponere? An sic differant Patres dicere equidem non possum, cum Pisis degens & docens, post Decadem primam à Strada euulgatam super ea re cũ nullo Socio verba commutauerim, verisimile tamen est ea fere ratione, quam retuli Famianæas paginas à Sodalitio extolli, euehi, prædicari: totius enim Ordinis interest quam maximi fieri

quæ à Patrum officina prodeunt quotidie monumenta. Mihi verò si liceat efferre fibra quæ latet sententia; asserunt non temerè recentiores scriptores esse aut æquandos, aut præferendos veteribus qui consensu humani generis, & labentium sæculorum calculo quam commendatissimi ad nos vsq. non sine ingenti felicitate peruenerunt: relinquenda enim ipsis est prærogatiua, quæ magna à vetustate petitur non absurdè. Adolescentes certè comparatione facta inter vetustos & nostrates non sunt ab antiquorum lectione auocandi, auellendi, quod non rarò dicuntur facere patres sodalitij: quinimò monendi, vt priscos, veluti fundatores litterarum, & disciplinarum in consilium vocent, legant, versent, imitentur, in succum & sanguinem vertant, nisi velint semper pueri esse. Pueros enim esse ausim deierare, viuere, & mori eos, qui nouitatis nimium studiosi ad recentiorum scripta tamquam ad sirenios scopulos consenescunt. Quæ quæso in republica litteraria potest esse Famiani apud viros graues authoritas, si comparetur cum Liuio? Tenuis mehercle, si nolimus nostro seculo palpum obtrudere: quam verò pusilla decas Famianæa, quæ tumultum in Belgio describit exortum, narratq. turbidos motus populorum, & Nassouij Reguli conatus cum imbecillitate coniunctos, nobis ob oculos ponit commotum angulum Europæ & quidem ad septentrionem Oceanumq. positum, si iubeatur congredi, & gressus conferre cum immensa mole Liuij, cōplectente non vnius populi Romani, sed omnium prope nationum, quibuscum rem bellicam habuerunt homines Romani orbis terrarum principes, res longè lateq. sparsas; si contempleris loca, in quibus gestæ; si verò diuturnita-

turnitatem, quæ comprehensæ, per septingentos annos deductas non interupta serie, non defatigata diligentia, non interualla sciente scriptione. O admirandum Liuium, qui sic scripsit, vt visus sit cum Romanis immensa molientibus & peragentibus certare, quos si non superauit, non certe dimisit cum palma sibi erepta. Omnia enim verò grandia in Liuiana historia, omnia grauia, omnia ingenium extra ordinem magnum spirantia. An quisquam tam hebes sit, qui nominato Liuio, & Famiano, non illicò iubeat occurrere menti materiam in illo immensam, in isto tenuem, si quidem comparatio ineatur inter ea, quæ Romanus populus, dum per mundum cognitum circũfert victricia arma, agit cum ijs quæ in Famianea Deca de continentur. Respondisse verò Liuium maiestati & magnitudini rerum, quas narrandas suscepit, sanę mentis nemo infitias iuerit. vt interim non negem præclarè suo quoq. munere defunctum beneq. de Belgis meritum Famianum.

An Famianus sacerdotio initiatus, scholasticusq. Doctor potuerit perfectam componere historiam? Cap. II.

HÆsitauerit aliquis, num decuerit Patrem Famianum historiam totam ferè ex euentibus præliaribus conflatam texere, & euulgare? videtur eiusmodi materia vt pro dignitate tractetur exigere à scriptore non exiguum rerum ciuilium, atq. etiam militarium vsum, quo cum carere cogatur sacerdos, qualis est Famianus, quod*

sacer-

sacerdotium cum occupet animum prope totum in contemplatione diuinorum, in meditatione cœlestium, an ab eodem prodire poterunt libri exacti, qui sese ciuilibus vndis, imò bellicis fluctibus immergunt, penetrant aulas, dolos detegunt, artificia Regum, procerum luci exponunt? vix affirmaueris. Et verò monstri videtur esse simile cernere Mystagogum, & sacrorum antistitem versantem inter eos, qui castra sequentes nulla fide, pietateq. præstant. At exempla tuentur Famiani institutum, quorum clypeo velut Palladia ægide opposito facile repellit cuiusuis reprehensoris tela. non desunt, *inquit pag.* 4. ex omni ætatum nationumq. censu perplurimi, qui sacerdotio prædit i militaria hæc argumenta litteris tradidere. *Itane plurimi sacerdotes ex omni ætatum nationumq. censu historias composuerunt? augeri nimium, nisi valde fallor videtur numerus eiusmodi narratorum talibus verbis. Moses sanè vix videtur Famiano prodesse, nam Princeps fuit & Vates, imò dux belli. Sed non humano ingenio res populi Israelitici recensuit. Quod diligentia, quæ ab homine expectari potest exigatur, quid mirum memorata à Mose quæ bellator ipse gessit, & vidit? Berosus, quem tamen sacerdotem non vocant Iosephus, & Plinius, de Astronomia, & Chaldæorum philosophia græcè scripsit teste Iosepho contra Apionem, cui quidem operi ex vetustate suæ regionis secutusq. priscos annales, vt testatur idem Iosephus, non pauca historici argumenti inseruit. occupatus autem circa prædictiones diuinas, quarum causa ab Atheniensibus donatus est statua, non videtur magnum operæ inter historicos tulisse pretium. Ante Herodotum*

pro-

profectò apud græcos non prodiere volumina, quorum auctores ex magna laude ornentur. Iosephum verò de bello Iudaico, de patrijs antiquitatibus scribentem dum commendamus mox subiungimus fuisse strenuum militia, multūq. temporis & laboris eiusmodi vitæ generi impendisse, cum fortiter rem gesserit pro patria. Ergò vmbraticus homo cum non foret, in Sole historico feliciter sudauit Iudaicumq. bellum quod vidit ipse, & cuius pars fuit narrauit. an componendus cum Iosepho Famianus? hæreo. Eusebium Cæsariensem scimus beneficio Cōstantini cū inspexisse tabularia, & prisca monumenta vtcunq. consarcinasse, & contexuisse, quæ memoria digna de initio & progressu Christianæ religionis reperit. Cætera, præsertim bella, aut omisit, aut leui tetigit brachio. Hodie sanè inter accuratos historicos non video Eusebium numerari. nam libri de vita Constantini declamatorio laudationis modo potius, quam historico filo conflati. quid verò facies Orosio, quid Villelmo Tyrio? inter pusillos scriptores referendi. Iouius in narrando est luculentus, grandi loquus, magnificusq. sed vt literariam non laboriosam & militarem egerat vitam, ita in instruendo lectore, in ingerenda prudentia longè infra Guicciardineum apicem, & fastigium consistit. Bembus porrò licet latinè doctissimus, & eloquentia minimè protrita succinctus non ipse ad historiam patriā scribendam accessit; sed mortuo patritio, cui munus eiusmodi incumbebat iussus est à senatu perficere, aut potius ex integro componere. Marianam vtcumq. aliunde res Hispanicas colligentem nequaquam magnifecerim, de historia perfecta quando agitur Maffeioq. elegantem potius sermonem, &

poli-

politam latinitatem, quam robustam rerum cognitionem, quæ nos possit cautos prudenteſq. reddere, tribuerimus. Non dubitauerim autem Famianum ijs, qui viderunt viam, qua itur ad historiam, annumerare, nec infitias iuerim ab eodem calcatum, quem vidit callem. at forte dixeris nō potuiſſe perfectum euadere, lectoriq; omni ex parte satisfacere, cum Belgio numquam viſo, à ſcholis numquam auulſus totus fere ab alienis epistolis, relationibus, & id genus ſcriptis pendere coactus fuerit.

An & quatenus potuerit Famianus narrare bellum, in quo tandem Hollandi rem feliciter geſſerunt? Cap. III.

QVI *legit attentè proluſionem hiſtoricam Patris ſanè eruditi Famiani Stradæ, cenſoriam virgulam Tacito intentantis, recte fortaſſis ab ipſo belli Belgici narrationem ſuſceptam miretur. Etenim ea in proluſione pag. 29. edit. Lugdun. anni MDCXXVII culpatur tantus hiſtoricus ob* ſacra impunè violata, pollutas cum lucro ceremonias, crimina feliciſſimè patrata, talia haud par erat à ſcriptore obſeruationum, & iudiciorũ nō ſane perparco, ſine aliqua nota præteriri, *Quæ animaduerſio nos illuc abducit, vt putemus cum periculo narrari ab hiſtoriarum conditoribus prauorum audacúmq. hominum molimina felici euentu, ſecundo curſu non deſtituta. Talia namq. qui legunt percelluntur, ſuſpenſiq. apud ſe quærunt: Quì fiat, ſiquidem res mortalium ſua cura non deſtituit Deus, vt perditi ho-*

 mines

omnes audeant immania facinora, ausisq. ex animi sententia potiantur? responderet forte Tacitus, vt disserit in VI Annalium ex penetrali Stoicorum promens sententiam solum virtutem bonam esse, solum vitium malum, in caeteris ludibrio fortunae plerumq. obnoxijs felicitatis non ponit arcem: ne turbemur, quando videmus probos premi, prauos florere. Quis enim habeat rationem eorum, quae si adsint, non faciunt beatum, si absint, non reddunt infelicem? Quod semel prolatum non erat necesse saepe ac saepius per narrationum interualla repeti, ne lector sibi ipsi occineret versiculum:

Occidit miseros crambe repetita magistros

Sed misso Tacito, qui memor est animaduersionis Famianeae, quaeret: cur Belgici belli suae diligentiae voluerit esse scopum pater; cum si totam telam pertexere velit sit cogendus memorare Sectariorum Caluino fauentium res non semper aduersas, sed mixtas aliquandiu, tandem secundas, condita praepotente Republica, apud quam pacem & foedera quaerere, & difficulter impetrare visus est Philippus Tertius Secundi filius & successor. Ne dicam renouato post interuallum Induciarum bello ad id potentiae pertigisse fastigium Hollandicum, vt expugnata Syluaducis, Traiecto, & nouissimè Hulsto ne quidem videantur ab hominibus rerum successu ferocibus obtinendae pacis conditiones. Annon more Taciti à Famiano reprehensi dixeris Patrem talia narrando posse forte incommodare, officere Catholicae veritati? nam felicibus auspicijs defecisse Belgas, aut saltem Hollandos, non contemnendam Belgarum partem, non diffitetur censor Taciti sic in principio

libri

libri primi loquens: deletis magnis exercitibus maiores iterum copiæ vndiq. gentium submissæ certatim oppleuere campos. Et tamen tam multis populorum impendijs, exhaustis Regum opibus, coniuratis Europæ viribus Hæc Troia tot iam decennijs petitur nec dum capitur. *Sed huiusmodi difficultas, cuius pondere non minus Famianus, quam Tacitus premitur, historicorum non paucis obuiam it, negotiumque facessit; vrgens æquè Christianos atque Gentiles. Ergò si posset aut deberet à scribendis euentibus deterrere, multis hæreret aqua nescijs, num calamus ad bene merendum de historia foret impellendus. Quam multi apud Romanos bellum ciuile inter Pompeium & Cæsarem monumentis litterarum tradiderunt, coacti summam huius felicitatem in opprimenda patria, in conterenda libertate memorare. Qua narratione lecta lector sentit se indui in scrupulum non facilè euellendum, vt scitetur: quî factum vt victoria destituerit Pompeium pugnantem pro iusta causa, aspirauerit autem Cæsari dominationem grauem suis ciuibus ingerenti, inijcienti, imponenti? Huiusmodi nodus solet fere sic solui, vt asseramus prauos tandem dare pœnas, neque diu lætos esse sceleribus & commissis. Ita absolutos à se Deos canit Claudianus viso Ruffini supplicio: At plectantur sanè scelesti, & inuoluantur tandem exitio, superest tamen difficultatis portio, dum comtemplamur bonorum, & virtute præditorum virorum calamitatem, & interitum. Cur enim qui steterunt à partibus patriæ Pompeius, Cato, Brutus, Cassius tragicum sunt sortiti exitum conclamata libertate, pro qua non dubitarant caput obiectare periclis? Cur Roma domina gentium postquam fictitiorum deorum abiecit cultum, Christianam amplexa ve-*

ritatem, deletaque quam inusserat superstitio, macula obruta est Geticis Gothicisque armis, expugnata captaque ab Alarico, misere habita, omnique ornatu spoliata à Genserico? Cur tot prouincias, tot regna Christo addicta, vera pietate florentia in potestatem cernimus abiuisse Regum Principumque Mahumetanorum, præsertim Osmanidarum? cur impia secta iam vltra mille annos durat, & subinde de nobis victis erigit trophæa? Cur adeo feliciter rem gesserunt contra nostra iura Mahumetes secundus, Selimus, Solimanus? cur heri & nudius tertius Ebraimus, qui nunc Turcis imperat, inuasit Cretam, & intra breue temporis spatium vnam ex præcipuis vrbibus, & quidem permunitam expugnauit, in suam potestatẽ redegit? talibus quæstionibus iampridẽ non aliter occurrerunt viri sapientes, quã vt faterẽtur rebus diuinis plurimũ inesse obscuritatis, iudicia Dei multa occulta esse, iniusta nulla, nec curiosè admodũ indagãda, excutiẽda Diuinæ prouidẽtiæ adyta, atq. penetralia.

An qui in partibus est, idoneus sit scribendæ historiæ? an pater Famianus sit positus extra partes Hispanorum? Cap. IV.

A*Vctoritatem suæ historiæ, vt vera censeatur, non absurde conciliat Pater Famianus dum pag 4. ait se* omni partium studio aut intactum aut maiorem, cum qui partibus implicitus ægrè odium, & amorem exuat. *qua professione videtur imitatus Sallustium, qui narraturus Catilinariam coniurationem ait se in partibus non esse, cum recessisset à republica, priuatusque sibi viueret, caneretque. Et verò extra suspicionem potuerat videri, cum pars non exigua narratio-*

nis

nis esset futurus Cicero, in cuius gratiam non putaret quisquam mentiturum contra Catilinam, cum non constet amicos fuisse sint etiam, qui dicant vni cum altero non bene conuenisse. Turbis belgicis nequaquam immixtus fuit Famianus, qui ne Belgigium quidem vnquam vidit, & quidlibet potius, quam arma tractauit. An quisquam eius fidem vacillare asseret, & narratorem suspectum habebit, quasi odium aut amorem ad scribendum iusserit accedere? Exercendi tamen ingenij causa quærere me iuuat primò quidem, an qui in partibus est aut fuit vt suspectæ fidei à texenda historia mereatur reijci, repelli? Scitor etiam an extra partes, quando Belgicis de rebus agitur sit prorsus collocandus Famianus? primam vt aggrediar controuersiam, asserere quis non ambegerit non satis esse, ne quis rectè fungatur historici munere, in partibus si dicatur esse, aut fuisse. Quisque enim, cui explorata veritas, narrandæq. par ad templum Palladis adferre potest historicam texturam, cum veritas impauidũ, imperterritũq. reddat aduersus cuiuscũq. etiam præpotentis viri conatũ, imperium. adde exẽpla eorũ qui partibus immixti, inuoluti condiderunt annales, cõmentariosq. adeò esse illustria, vt cum ipso queant certare meridie. Heroica facta Alexãdri Magni, qui Imperium Persarum euertit, Macedonicãq. gloriã longè lateq. fulgere iussit, quinã optima fide, ad posteritatẽ transmiserunt? Ptolomæus Lagi & Aristobulus Aristobuli filius. his enim duobus præcipuè niti narrationes de Alexandro Magno censet Arrianus vir grauissimus, supraque exceptionẽ omnem longè positus. Polybius lateri Scipionis minoris adhæsit cum profisceretur aduersus Carthaginenses bello punico interfuit, oculatus testis vidit quæ gerebantur, quæ vidit, litteris chartisq. mandauit, quo successu? prorsus felici: incorruptam

namq.

namq. fidem ad scribendum allatam à tanto philosopho nemo vmquam negauit. in partibus tamen fuit Romanorũ Polybius contra Carthaginenses, non prætereundus in hoc censu Asinius Pollio, qui secutus partes Cæsareas etiam pharsalicæ pugnæ interfuit rem strenuè gerens, quæq. contẽplatus in decursu tantorum euentuum stylo dedicauit, à suspicacibus homuncionibus minimè sibi metuens. in vita Bruti narrat Plutarchus Messalam ab eodẽ stetisse, pugnasseq. contra Augustum & Antonium memorato postea, inq. cõmentarios relato successu, quod idẽ testatur Plutarchus. Idem dixeris de Ammiano Marcellino qui militauit sub Iuliano Imperatore, fuitq. in expeditione contra Persas, quã litteris traditam non siuit perire. Polibio & Marcellino addideris Procopium, qui Belli sarium est comitatus cõsilioq. iuuit, bene deinceps de tanto belli Duce meritus composita historia quid memorẽ Eginardũ assiduum in comitatu Caroli Magni, cuius res gestas scriptor dignissimus cui credatur memorauit? Nonne, ò doctissime Famiane, in partibus Hispanorũ nostra tempestate fuere Bernardinus Mendoza, Pompeius Iustinianus, & nonnemo alius, qui tamen dum recensent Belgicos euentus fidem inueniunt? Non omiserim ipsa capita, ipsos Principes partium existimasse sibi licere rerum à se gestarum memoranda litteris complecti, & vulgare susq. deq. habentes meticulosorum hominũ suspiciones, et inania meditamenta, cum nossent se de rebus non incompertis haud falsas texere narrationes. Quisnam est qui nesciat à Cæsare, quem Tacitus summum scriptorem *appellauit, libros de bello Gallico, ciuilique emissos? qua in re videtur imitatus Syllam dictatorem, qui rerum suarum memoriam ipse in libros retulit ad finem prope vita, quod obseruatum à Plutarcho in eius vita.*

Recen-

Recensendus quoq. Augustus qui stylū transtulit ad narrandam suam vitam, in qua res maximi momenti, bellum præsertim ad vindicandam necem patris contra Brutum Cassium susceptum, & egregiè profligatum. pudet plura eius generis in cumulum trahere, cùm superuacanea possint censeri. Quin dixeris longè magis conuenire narrationes historicas ijs, qui in partibus, quam extra partes collocati fuere. nam extra partes positus cogitur alienam sequi fidem auditaq. non visa memorare. Quid, quod in idem videntur recidere qui in partibus, extraq. partes siti. Etenim extra partes positus vtitur volens nolens narratione eius, qui in partibus fuit. Nonne Famianus in texenda sua Decade vsus est ijs, quæ suppeditata sunt ex scrinijs Hispanicis, Parmensibusq.? absq. dubio. parum autem videtur referre siue cum Hispanis, Parmensiq. Duce interfueris bello Belgico, siue cum nō interfueris dū narras incedas per vestigia eorum, qui pars fuerunt eiusmodi belli. Noui quid à patre sanè docto regeri possit: At mihi secunda aurem vellicat quæstio de qua in principio huius dissertatiūculæ me acturū dixi. An extra partes Hispanicas poneris ò pater optime Famiane? an in medio vis collocari, quando de fidei Catholicæ, quam protegis in historia, assertione aduersus Hollandos Caluino iurata nomina agitur? Annon inquis ipse dum bellum Belgicum refertur, Religionis causam peragi? *Nec dissimula videri societatem, cuius pars es, præter cæteros religiosos singulari ratione & arctiori vinculo sanctæ sedi Apostolicæ, quam sectarij præcipuè impetunt, addictam. sunt etiam qui asserant patres sua studia præcipuè velle probare, semperq. probasse Augustæ Do-*

mui

mui Austriacæ, Regiæq. Maiestati Catholicæ. Lubentius profectò amplectuntur occasionem loquendi, scribendi de Regibus Hispaniæ, de Hispanica magnitudine, quam de alijs. cum præsertim gloriosæ semper memoriæ Imperator Ferdinandus Secundus ipsos non minus quam seipsum amauerit. adde à Sancto viro Hispano Ignatio Loiola fun datum, institutum Sodalitium. dum etiam adeò se circum spectè gerunt totamq. sagaciam & solertiam ad negotia tra ctanda afferunt vna omnes, quocumq. demum sub cælo nati, nonne ostendere videntur se pronos esse in Hispanicos mores, Hispanicam magnitudinem? Certè per Belgium dum scribendo incedis, videris studiosè cauere ne quic quam promas, quod molestè possit excipi ab auribus Hispanorum, quos pluries ingentibus euehis laudibus. de ijs autem, quæ seuerus aliquis Cato in ipsis forte reprehenderet, molliter & placidè, aut saltem non grauiter, non iracundè faris. Quæ tamen omnia non eam mihi incutiunt opinionem, quam de te haberi non cupis, vt putem te in partibus esse. sis ergò per me, quod cupio maximè, extra partes hact nus, vt detesteris quæ impiè molita est saltem pars Belgarum aduersus sanctitatem veritatemq. nostræ Catholicæ Religionis. doleas etiam sic rem erupisse in neruum, vt Belgica natio prope tota aut deficeret à Rege, aut saltem in angustiam redigere satageret eius auctoritatem, maiestatem; in ligneris proceribus, præ omnibus autem taciturno Orangio, qui sua facundia, suaq. calliditate potuit exteros aduocare ad pellendos Regios, totamq. turbandam prouinciam, incolas autem Belgij præsertim maritimos sciuit in suam trahere sententiam, præpotentisq. iacere funda

menta

menta Reipublicæ, quæ hodie sociatis cum Gallico exercitu viribus armisq. Antuerpiæ, Gandauoq. & vicinis oppidis formidabilis imminet, atq. incumbit.

De quodam consilio Regis Catholici in gerendo bello. Cap. V.

L*ib. 1. p. 2. ait disertissimus pater Famianus non defuisse, qui* consilio trahi bellum ab Hispano Rege in Belgio suspicati sunt, vt exercitam habeat in Belgica schola, militiam. *quam suspicionem, vt falsam reijcit ipse. Imò non suspicando sed grauiter differendo dixere aliqui ex Hispanis proceribus eá etiam de causa Regẽ catholicum magnos facere sumptus in gerendo tam diuturno bello ne sibi desint, quos arcibus, copijs alibi præficiat quod mihi narrantem Romæ Iohannem Baptistam Viuẽ Valentinum, Archiducum Alberti, & Isabellæ apud Summum Pontificem Oratorem, non semel audiui. alij paulò aliter de hac re loquendo aiunt, cum mala necessitas cogat Regem bello prope perpetuo immorari, hunc saltem percipere fructum, vt egregios habeat Duces, quorum opera in Italia atq alibi aduersus hostes vtatur. Quicquid verò hac re sit satis constat plerosq. omnes quibus rex extra Belgium credit propugnacula, præfecturas arcium, potestatem in milites ex Belgio vocari, adeò vt si in Belgica militia non se aliquandiu exercuerint, á militaribus dignitatibus repellantur. hodie certè qui imperant militibus pro Rege, Velada, Cantelmus, Leganes, Philippus Sylua ex palæstra Belgica prodierunt, venerunt. At inquies,* eodem in ludo eru-

C diun-

diuntur hostes quorum arma hebescere otio, quam tractatione splendescere satius foret. *Facile est respondere vix vllum esse in rebus humanis bonum, quod adiunctum aliquod malum non habeat. Maius autem bonũ est eligendum, & si ei adsit aliquid mali. Nollet regius apex erudiri suos hostes. sed cum debellari nequeant, aut saltem mora debellationi se interponat, gaudet Rex sibi surgere militares Duces, quorum opera valde indiget, cum tam magnum Imperium vix carere hostibus queat. satius autem videtur esse permittere erudiri in bello hostes Belgas, quam Regem destitui Ducibus militaribus. Si alij aliter differant, id, me quidem non inuito, facient.*

Agitur adhuc de eodem consilio. Cap. VI.

ADhuc aliquid de consilio Regis Catholici in gerendo bello promendum. Nec enim satis est, si Famianus putet conducibile non esse Regijs rationibus in ludo bellico erudiri Batauos, vt negemus Regali ex consilio non poni arma. Quin videndum quid satius esse putent eius consiliarij, & duces quorum opera hactenus in oppugnandis hostibus eluxit, emicuitq. non ignorat Famianus Ductores plerosq. omnes cupere bella non profligari, ne ipsi inglorij viuere cogantur in pace. Qui verò adest Regio solio summa auctoritate praditus, & à cuius consilio, & arbitrio nescit Rex discedere, cũ rei militaris nõ sit cupidus, non suadet domino, vt ipse proficiscatur in bellum. Tunc enim excideret intima beneuolentia & familiaritate, cum Princeps

vsu-

vsurus foret consilio & opera eorum, qui arma tractare norunt. Turcæ sane vt astuti laudantur, inter quorum arcana dicitur esse hoc, ne diu cum vlla natione belligerentur ipsa namq reddita gnara rei militaris vix deinceps debellari, & in ordinem cogi posset. vellet hoc, & quidem rectè Famianus obseruari à Rege Catholico. Sed in consilio Principum non semper meliora eliguntur, quando præsertim ipsi Principes non sunt admodum addicti negotijs, & leuia curantes grauia negligunt. Quid perniciosius Hispanis oppugnatione Casalij? perstitit tamen in sua sententia Oliuarius, vt expugnaretur. Sed frustra, & malo successu.

De summo odio, quod viget inter Christianos ob dissidium religionis.

Cap. VII.

R*Efert Famianus lib. 1. p. 3. longè atrociora esse bella gesta inter Hispanos, & belgas, ijs, quæ gesta olim inter Romanos, Belgasq. ob* dissidium religionum hic iras, *inquit*, ab hac cote armamus pugnacius, odiaq. subinde animosius exercemus. *obseruatum olim ab Ammiano Marcellino nulla odia posse exæquari ijs, quæ vigent inter Christianos, quod non idem de diuinis sentirent. loquitur ipse de Catholicis, & Arianis, qui in se inuicem rabiem plusquam vatinianam exercebant. ab eo tamen procul fuerunt vt bellum inter se gererent; quin promiscuè parebant Imperatori, siue Catholicus esset, siuè Arianus. Constantinus enim Catholicus, Constantius filius,*

qui diu imperauit, Arianus, Iouianus *Catholicus, Valens Arianus. Imperauit etiam in Italia diu Theodoricus Arianus. dices, bellum gestum fuisse à Iustiniano, qui Catholicus erat, aduersus Gothos, & Vandalos, qui arianismo laborabant. respondendum, bellum non extitisse potissimum religionis causa. Non igitur ob religionem bellatum est præcipuè. At nostra superiorq. ætas quas bellicas calamitates non est experta multis quidem de causis, quas inter Religio aut primum obtinuit locum, aut nulli secundum. Quo eiusmodi discordia deduxit Germanos? eò vt iam tam Catholicis quam reliquis moderari velle videantur externi. Germaniæ profectò vires languent, tantumq. non sunt conclamatæ. Cum verò rerum Ciuilium sis adeò peritus Famiane (descripsisti enim bellum Belgicum) dic age, num de iure belli quando agitur, eam quoq. promere possimus causam, vt duo populi, duæq nationes liberæ religionis causa possint bellum gerere, coactura victrice parte partem victam ad deponendam religionem, suscipiendamq. aliam ex arbitrio vincentis? ex tredecim Pagis hodie aliqui Catholici, aliqui Acatholici sunt. Num eò res deduci iure potest, vt sacrum bellum inter se gerant? gesserunt olim, sed mox positis armis, posita rixa de religione, libertati ciuili dederunt operam, hodieq. sic viuunt, vt religionis causa putent non exercenda odia inter se. Sed si Catholici, & Acatholici pugnent, num inter ea, quæ victo à victore imponuntur, poterit id recenseri, vt victus victoris religionem suscipiat? Quæstio sanè ardua. Turca multas regiones christianorum suas fe-*

cit, viget tamen adhuc sub ipso religio Christiana, fateor non admodum florere, at exstincta non est. Rex verò Galliarum Christianissimus Ludouicus XIII ad obedientiam cùm reuocauerit Hugenotas ereptis arcibus, subtractis munitis vrbibus, non eis subduxit libertatem conueniendi ad exercenda sua sacra; qui tamen tanta humanitate victi paulatim vltro Catholicæ dant manus veritati.

Carolum Quintum Cæsarem magna cum gloria multas profectiones peregisse. Philippum filium ea in re non imitatum patrem. Cap. VIII.

N*Arrat doctissimus Famianus libro primo de bello Belgico pag. 3. Carolum V. Imperatorem peregisse expeditiones, profectionesq. nouem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, in Galliam quatuor, totidem in Africam, mari vndecies remenso: quibus quidem laboribus magnus Princeps sic imitatus est aliquos Imperatores Iulium, Augustum, Traianũ, Hadrianum, Seuerum, & alios, vt aliquos videatur superasse. Cum verò Philippo filio deberet ob oculos semper versari, tanquam pulcherrima imago, tanti patris vita, quæ cogitationes animum eius occuparunt, vt intra breue tempus post discessum parentis Hispaniam repetiuerit, & ab ea amplius non discesserit, imo ferè semper hæserit Mantuæ Carpetanorum, si excipias transitum in limites Lusitaniæ? nam suo iure aliæ Prouinciæ, vt &*

Bel-

Belgica præsentiam regis, si non perpetuam & assiduam, per interualla certè vota populorum suorum audientem pronis auribus postulare poterant. An soli Hispaniæ debebatur Rex inspector? imò cum non minus ei reliqua regna penderent tributa, præstarent obedientiam, debebat ea quandoq. præsertim turbis imminentibus inuisere, eorumq. incolumitati coram respondendo consulere. Sed ipse paterno exemplo insuper habito indutisq. Hispanicis moribus, Hispanica grauitate passus est se occupari à Gomesio, Albano alijsq. Bæticis proceribus, quorum intererat magnopere ne Rex itinera vlla susciperet. Eiusmodi verò mora non parum tanti Regis, qui cæteroq. sapiens, sagaxq. erat, (lubet enim dicere quod res est ò Famiane) obscurauit gloriam. dices eum voluisse imitari Tiberium, qui Roma abstrahi se non est passus. Sed quis non videt Tiberianum exemplum exceptione non carere, cum sciamus inter Tyrannos à Romanis recensitum Tiberium, eius damnata memoria ob crudelitatem, ob turpissimos mores. Cur enim relicta etiam Roma se contulit Capreas? vt quæ turpia patrabat, laterent. sed frustra fuit. Noli ergo quando de erudiendo Principe agitur, magnopere venire in sermonem perditum Tiberium. Quin debent recenseri Antonini, & alij ipsis similes.

Qua-

Quatenus Rex & princeps debeat præsentiam suam populis subiectis. Cap. IX.

VT ea, quæ præcedente capite prolata sunt adhuc melius intelligantur, aut etiam comprobentur, dis serendum aliquid est de præsentia Principis & Regis, quatenus is eam debeat populis sibi subiectis. & quidem si sermo sit de Eo, cui vna paret regio, vnum regnum, facile est dicere regnum & prouinciam non carituram præsentia Principis: at si loquamur de illo, cui parent plura regna, multa prouinciæ olim seiunctæ cum nondum coaluissent, vniq. cœpissent subesse, res difficultate non caret, cum enim præsentia Principis ad incolumitatē salutem dignitatemq. populorum faciat, si ipse vna in regione sedem figat, destituet, offendetq. alteram, imo quælibet videbitur suo iure sibi præsentem postulare principem: illa namq. regiò videtur imperare, in qua Princeps degit, nam longinqui coguntur ad aulam subinde se conferre, sumptus facere, exorare consilia rios in ea natos regione. Qua res tanti momenti est, vt multi populi putarint amitti dignitatem regni, si pareant Regi degenti in alia prouincia, apud aliam nationem, cum præsertim labente tempore filius succedens patri natus in ea regione, in qua pater sedē posuit, nō videatur esse eius nationis, cuius erat pater. Igitur Galli sāciuerūt legē salicā, qua fœminas excludūt à successione Regni, ne si fœmina nuberet externo, progressu tēporis hæres regni Gallicani efficeret, vt Galli subessent peregrino regi. apud Lusitanos etiam iure successionis ex-

excidunt puellæ regiæ, quæ extra Hispaniam (de tota loquor Hispania etiam Bætica & Tarraconensi) nubunt eadem de causa, ne scilicet Lusitanis imperet externus. cum duceret vxorem Ferdinandus Aragonum Rex Isabellam Castiliæ reginam, quia apud Castilianos in regno succedunt quoq; fœminæ, conuenit inter ipsos, vt sedes Regia apud Castilianos foret Mantuæ Carpetanorum, non Cæsaraugustæ. Sueci dixerũt Sigismundo Principi, qui fuit Rex Poloniæ eũ nõ posse simul esse regẽ Poloniæ et Sueciæ Curitaẽ quia nollẽt Sueci subesse Polonis, & permittere Regẽ suũ degere Cracouiæ, aut Varsouiæ sed vellẽt regni Suecici sedẽ esse Stocholmiũ. Cũ præsertĩ soleãt reges ex ea natione apud quã nati sũt, inducere in aliã suos cõterraneos, quod ferre non possũt qui consueuerunt parere suis ciuibus. Hispani profectò Carolo Quinto adolescente, nato Gandaui & degente in Belgio tumultuati sunt, & seditionem mouerunt, quod nollent Belgicis præfectis, quos Rex miserat in Hispaniam, parere. Scoti conqueruntur hodie deesse sibi Regem suum, qui degat Edimburgi, & aiunt se ægrè posse parere Anglis, & ad aulam Anglicam, Londinumq. procul à patria proficisci. Sed de Belgica sede Austriacorum Principum & Cæsarum vt agamus, sciendum est docere Ludouicum Guicciardinum patritium florentinum in descriptione Belgij pag. 32. consueuisse olim duces Burgundiæ per seipsos Belgis moderari, Belgium regere, postquam autem idem Belgium transijt ad Austriacam Augustam familiam constitutus est Gubernator, qui nomine Principis præesset regioni. Sub Maximiliano, & Philippo eius filio rexit Belgicas prouincias Georgius Saxoniæ Dux. Sub Carolo

Quinto

Quinto præfuit eidem regioni Margarita Austriaca soror patris ipsius Caroli. ipsa obeunte functa est eiusmodi munere Maria Regina Hungariæ soror Caroli ab anno MDXXXI. vsq. ad MDLV. quo anno abdicauit se Imperio, regnisq., & Belgas filio Phippo parere iussit. Maximilianus porrò, Philippus eius filius, & Carolus non sic constituerunt Gubernatorem prouinciarum, vt semper abessent. Imò subinde Belgium inuiserunt. at Philippus Rex tandem se contulit in Hispaniam, neq. amplius ex Hispania illuc reuersus est, quod absq. dubio Belgis, quibus cordi erat dignitas, salus, & quies patriæ, permolestum fuit. vt verò aliquid de tota quæstione, quę ad sedem præcipuam Principis facit, aliquid aut definiamus, aut definire tentemus, habenda est ratio consuetudinis, dignitatis & potentiæ, iurium etiam, quæ vnaquæq. natio tueri non omisit. an imperator olim elegisset aliam vrbem postposita & contēpta Roma? nequaquam. nam Constantinus, cui in mentem venit nouam Romam condere, perdidit Imperiū, quod iam peruulgatum est. Imperatores tamen præsertim boni, & quibus cordi erat totius imperij incolumitas, subinde huc illuc commeabant præsertim exorto bello. hinc apud Herodianum in vita Commodi, cum Marcus obijsset apud Danubium, & Commodus illicò non finito bello vellet se conferre Romam, à senioribus dictum est non debere ipsum tantopere desiderare Romam, cum Roma sit, vbi imperator est. non statim atq. Vespasianus renunciatus est imperator se Romam contulit, cum in oriente superessent non pauca componenda. Quid memorem Alexandrum Seuerum, quid Septimiū itidem Seuerum, quid Traianum, quid præ omni

bus Hadrianum. hi atq. alij existimarunt sibi faciendum, vt laboriosa peregrinatione præsto essent regionibus indigentibus ipsorum præsentia. O verò perniciosos consiliarios, qui suadent Principibus, & Cæsaribus, ne in bellum proficiscãtur, sed omnia per administros conficiãt. nouissimè autem in Hispania viri prudentes Regem Catholicum suis monitis impulerunt, vt Cæsaraugustam se conferret, & Gothalaunicis turbis esset propior, quæ res non parum profuit. si potentissimus Rex Philippus se contulisset in Belgium, sperandum prorsus erat citò profligandum bellum, & pristinam tranquillitatem reddendam Belgis. cum verò ipsius Maiestati placuerit Mantua Carpetanorum non discedere, pro Rege in Belgio bellũ sedem fixit, quod contigit non ad dignitatẽ ipsius Regis. nã vt citò conficere bella magna est laus Principis, ita si illa in multos annos potrahantur, arguit aut imbecillitatem, aut negligentiam, aut saltem infelicitatem. addo de præsentia Principis quando agitur, debere etiam haberi rationem dignitatis. Ita fateor par fuisse Regem Catholicum potius in Hispania degere ob amplitudinem regni, quam Neapoli, vel Mediolani, vel Bruxellis. sed non inde colligendum est oportuisse Regem semper abesse à Belgio, seq. solis Hispanis dedere, atq. reseruare. nec negauerim Scotos suo iure posse petere, vt saltem aliquam temporis partem regno Scotico impendat, nec semper Londini vitam transigat Magnæ Britanniæ Rex.

Quæ

Quæ causæ impulerint Regem, vt ex Belgio discederet, & quæ impediuerint, ne illuc rediret? Cap. X.

QVicquid sit, de ijs quæ prolata sunt, videbatur præsentia Regis Catholici esse necessaria Hispaniæ, videbatur et mora in ea regione desiderari, quia Rex ob bellum Gallicum aliquandiu abfuerat, multa ibi erant ordinanda, quæ tempus non ita exiguum requirebant. suspicio quoq; iniecta magni regis animo quia ab Heresi quæ aliquatenus se Hispaniæ insinuauerat, timendum erat. neci Maurisci tam Hispanici quam Africani permittebant Regem ipsum diu abesse. audiamus Cardinalem Bentiuolũ libro primo p. 21. la parte più opportuna per cõparire à tutto l'imperio vigore, doueua esser riputata la Spagna. loquitur autẽ de periculo per esserui di già cominciata a penetrar l'heresia, e dall'altra il sospetto della gente Moresca con la quale grande era il timore, che non fossero per conspirare di fuori parimente i Mori vicini dell'Africa. Thuanus libro XXIII. ait Philippum totum in belli Africani curam intentum fuisse. Quod verò non reuersus fuerit, & reuerti noluerit, quamuis impensè rogatus à Gubernatrice, id causæ fuisse scribit Famianus libro VI. quia in Hispania Mauricæ rebellionis initia ei subolucrant, & aduersus Carolum Hispaniæ Principem multa pater animo premebat. Hæc si excusant Regem, nec negligentiam & imprudentiam ipsi impingi patiuntur, ostendunt profecto difficile esse regere va-

re vastum imperium, & plurimas regiones varias linguâ moribus, lege disparatas & situ, ad quas iter sine labore & periculo nõ suscipitur. Certè Philippus Rex potentissimus cum nauigaret in Hispaniam præsens adiuit periculũ, amissa ingenti magni pretij suppellectile, iactatus à sæua tempestate. ignorandum autem non est, difficultatem regendi amplissimum imperium, quale erat Romanum, impulisse non vnum ex Imperatoribus, vt in societatem potestatis Cæsareæ alium vocarent, quo cum partirentur curas publicas, & eò illum mitterent, quò tunc ipsi proficisci non poterant. Constantius creauit Iulianum Cæsarem ad gerendum bellum in Gallia & oppugnandos Germanos. Diocletianus habuit collegam, vt notum est. Marcus Imperator asciuit fratrem Verum, quem ablegauit in Orientem. Augustus vsus est opera Tiberij, & Tiberius geminam seditionem diligentia Germanici, & Drusi compressit. Bellum Syriacum Vespasianus per Titum filium confecit. Adeò non videtur vnus homo par esse amplissimo imperio moderando, cum si vrbem Regiam relinquat, aut ab oriente in occidẽtẽ se cõferat, & vicissim ab occidente in oriẽtẽ migret timendum sit, ne turbetur ea pars quæ Principis præsentia destituitur. forte igitur angebatur animus prudentissimi Regis Philippi, cum animaduerteret suam præsentiam non minus Hispaniæ, quam Belgio esse necessariam, ambiguus, quò se verteret. Si referas exemplum Caroli patris, dicet aliquis rarum fuisse ingenium Caroli, raram, & prope diuinam virtutem.

De

De Consilio status, & Consilio priuato apud Belgas. Cap. XI.

P*Rincipis in Belgio vnum erat olim Consilium dictum priuatum, sed ob diuturna bella & augmentum negotiorum necesse fuit duplex constituere, vnum quidem dictum Consilium status, alterum verò priuatum, qua de re agit Ludouicus Guicciardinus in descriptione Belgij pag. 33. hinc de Rege Catholico, discessuro ex Belgio scribit Eminentissimus, immortalemq. laudem adeptus Cardinalis Bentiuolus lib primo pag. 30.* appresso la Regēte doueua ritener la parte più principale il consiglio di Stato e perche non era possibile d'hauer confidenza in tutti, perciò gli ordini segreti del Rè furono, che la Regente nelle materie più gelose e più graui ristringesse il numero a pochi, e riducesse il maneggio più principale in mano del Vescouo d'Arras. *in eandem rem libro primo pater Famianus Strada è societate Iesu, vir clarissimi nominis hæc habet pag. 61.* Spectandum Gubernatrici, si quando animaduerteret Senatores *(proceres ex consilio Status)* factionibus scissos, aut coniuratos, omissa tunc consultatione seorsim sibi consilium capesseret paucis adhibitis, *Granuelano. Barlamontio, Viglio.* isq. arcanus Senatorum congressus Consulta est appellatus. *an esset è Regis & regionum commodo eiusmodi Consulta, quæri iuremeritò potest &*

eam

eam tuetur Famianus pluribus prolatis rationibus, quas petit à celeritate qua negotia conficiuntur, à remota ambitione, quia inter paucos non datur locus declamandi, vt in senatu frequenti, ab incommodo frequentiæ, nam vbi magnus est numerus, non sapientes, sed plures vincunt. in aduersam partem dicere est Consultam videri destruere, & ad nomen inane reducere senatum, nã à tuenit aliquis à secretis Principis, cuius sententiam iam munitam firmatamq. adfert, hocq. probe norunt senatores, quibus adimitur libertas proferendi quod sentiunt, ne videantur velle Principi obstrepere. Fateor non semper adferri iussum, sed iubere Principem senatores disquirere, quid facto opus? vbi multum exantlauerint laborem, Consilium priuatum inducit & delet pro lubitu quod multi optimum factu iudicarunt. hinc prudentes viri, ex quibus constat Senatus sibi ita illudi, & se nequicquam vexari dolent, imò fremunt, quando Principis nomine coguntur edicta, quæ sibi displicent promulgare, edere. Ridiculum sanè est quod quandoq. audieris. nam Consilium priuatum aliquid sancit, hoc dicitur manare ex plenitudine (vt quidam loquuntur) potestatis Principis, & ex motu proprio eiusdem idq. ipsum transmittitur Senatui perinde sanciẽdum, euulgandum, ac si Senatui sic lubuisset. Turbabatur igitur nõ parum Belgium, irascebantur præcipui illi proceres prouinciarum Gubernatores, ex quibus cõstabat Consilium status, cum Gubernatricem consulere Granuellanum Cardinalem, neq. latum vnguem ab ipsius opinione discedere, oculis vsurparent. existimabant enim proceres hac ratione se vilescere, pluris q. fieri vnum Granuellanum peregrinum, & Burgun-

gundum, quam tot conspicuos Principes viros Belgas, Rex tamen putauit se hac ratione consulere rebus suis, cum conspicuos Belgas haberet suspectos & videret ipsos nimium fauere suæ patriæ insuperq. habere ea, quæ placebant Regiæ maiestati. Ita & à'ij Principes hodie sese tuentur exemplo tanti Regis. nam fidissimi sunt pauci illi, ex quibus constat Consilium priuatum: ad Consilium autem status, siue ad Senatũ ob nobilitatem obq. alias causas admittuntur proceres alij, quibus, cum multi sint, non tam tutò arcani Principis sensus detegi queunt.

Regimen in Belgio absolutum ne sit, an mixtum? Cap. XII.

DE causis, iureq. belli Bellgici quando agitur absq. dubio separandi sunt ab Orangio, reliquisq. sectarijs Antistites, Proceres, reliquiq ordines Catholici, qui nũquam à fide Catholica desciuerunt, neq. vmquam de ea deserenda cogitarunt, offensi tamen sunt, quod Rex non inuiseret regionem, multaq. de prærogatiuis, institutis, moribus Belgicæ nationis detrahere videretur. Nec enim negabit Famianus, homo priscæ eruditionis & recentium non ignarus etiam Catholicos populos quandoq. conquestos de regimine Regum, Principumq. suorum absq. eo quod vlla fieret mentio religionis, aut eius maiestas læderetur. hac profectò tempestate Gothalaunica natio desciuit à Rege Catholico, vocato Christianissimo. Lusitania verò magno consensu sibi nouum elegit Regem. quæ gemina nouitas prorsus non imminuit sanctitatem Catholicæ Religionis,

cum

cum apud vtramq. nationem non minus floreat iam quam sub Rege Catholico floreret, vt intelligat pro sua sapientia pater Famianus non semper salua Religione, saluam esse apud populos Regiam maiestatem, & potestatem, quando limites ab antiquis temporibus positos trāscendere transgrediq. non dubitat, contra quod videtur sentire ipse & in prolusione historica, & in historia de bello Belgico, quamuis in hac historia libro secundo pag. 117. duas res confecisse perfecisseq bellum Belgicum narret, Hæresim & ambitionem, quarum vnam posse ab alia seiungi, & reuera seiunctas fuisse in Belgio, si Catholicos respicias, narrator non infitias ibit. qui igitur Catholici arma sumpserunt contra Regem, ambitionis accusantur à Patre Famiano. voluerunt enim sapere supra suam conditionem, ausi sunt regi obstrepere, cum deberent simpliciter parere, neq. eos honores eas prærogatiuas sibi arrogare, quas in vnius Regis beneuolentia & lubitu morari et conquiescere par erat. seriò ergò quærendum est, an absolutum Imperium in Belgas haberet Rex Ca[illegible]olicus, & si non haberet, sed regimen pateretur aliquod temperamentum, concederetq. Ordinibus, Religioso, Nobilium, & populari quædam iura, num fas foret pro iuribus eiusmodi, si quidem ab administris Regijs viderentur pessundari, aut valde imminui, niti, neq. pati ea euanescere? Nouit optime doctissimus pater Famianus ab Aristotle vniuersim Reges diuisos in absolutos, & secundum leges. scit quantopere absoluti ab ipso improbentur, approbentur verò qui legibus sunt alligati. nec dicas, sic alligatos, vt pro lubitu tales leges tanquam molestas pedicas proijcere possint. nā Ephori apud Spartanos non permittebant Re-

gibus id licere, & Ordines regni itidem dant operam, ne Imperium tale sit vt vni, tanquam absoluto domino ratio reddatur. Sunt verba grauissimi historici Polybij in VI. historiarum eam Republicam censeri debere optimã liquidò constat, quæ ex omnibus illis quas diximus formis (*Regno, aristocratia, democratia*) sit composita. cuius rei probationem non ratione solum collectam, sed vsu etiam & experientia firmatam habemus. *hæc ille. mixtum autem regimen tale est, vt si quis alterius partem velit occupare, cunctaq. ad se trahere absoluteq. imperare, pars, quæ spoliari metuit, possit intercedere, contradicere, & si necessitas postulet, etiam vi vti, postquam tamen omnia tentata fuerint, ne ad vim transeatur. nec enim mixtum regimen dicitur regnum, in quo sunt quidem magistratus, sed sic pendent à nutu regis, vt eos omnes possit repellere, & dignitate exuere, cum quisq. norit Regem indigere administris, indigere etiam legibus, & moribus. in regimine autem mixto sunt magistratus, sunt leges, sunt mores, sed quos tollere non potest Rex, cum præstò adsint, quibus summæ potestatis partem habentibus licet iura recepta tueri. dices, eum qui dominatur Belgio dominari absolutè, et re sic poscente posse quaslibet Prærogatiuas, quælibet iura quamuis antiqua remouere substitutis alijs. Hoc verò negabunt rerum Belgicarum periti. nam qui absolutus est Rex non iurat populis se prærogatiuas eorum non violaturum. At Rex, Princepsq. Belgarum iurabat, vt est videre apud Ludouicum Guicciardinum in descriptione Belgij pag. 88. quod si non alligaretur iuramento nisi quatenus ipsi placeret ab eo non discedere, non esset cautum po-*

cum apud vtramq. nationem non minus floreat iam quam sub Rege Catholico floreret, vt intelligat pro sua sapientia pater Famianus non semper salua Religione, saluam esse apud populos Regiam maiestatem, & potestatem, quando limites ab antiquis temporibus positos trāscendere transgrediq. non dubitat, contra quod videtur sentire ipse & in prolusione historica, & in historia de bello Belgico, quamuis in hac historia libro secundo pag. 117. duas res confecisse perfecisseq bellum Belgicum narret, Hæresim & ambitionem, quarum vnam posse ab alia seiungi, & reuera seiunctas fuisse in Belgio, si Catholicos respicias, narrator non infitias ibit. qui igitur Catholici arma sumpserunt contra Regem, ambitionis accusantur à Patre Famiano. voluerunt enim sapere supra suam conditionem, ausi sunt regi obstrepere, cum deberent simpliciter parere, neq. eos honores eas prærogatiuas sibi arrogare, quas in vnius Regis beneuolentia & lubitu morari et conquiescere par erat. seriò ergò quærendum est, an absolutum Imperium in Belgas haberet Rex Catholicus, & si non haberet, sed regimen pateretur aliquod temperamentum, concederetq. Ordinibus, Religioso, Nobilium, & populari quædam iura, num fas foret pro iuribus eiusmodi, si quidem ab administris Regijs viderentur pessundari, aut valde imminui, niti, neq. pati ea euanescere? Nouit optime doctissimus pater Famianus ab Aristot. le vniuersim Reges diuisos in absolutos, & secundum leges. scit quantopere absoluti ab ipso improbentur, approbentur verò qui legibus sunt alligati. nec dicas, sic alligatos, vt pro lubitu tales leges tanquam molestas pedicas proijcere possint. nā Ephori apud Spartanos non permittebant Re-

gibus

gibus id licere, & Ordines regni itidem dant operam, ne Imperium tale sit ut uni, tamquam absoluto domino ratio reddatur. Sunt verba grauissimi historici Polybij in VI. historiarum eam Republicam censeri debere optimã liquidò constat, quæ ex omnibus illis quas diximus formis (*Regno, aristocratia, democratia*) sit composita. cuius rei probationem non ratione solum collectam, sed vsu etiam & experientia firmatam habemus. *hæc ille. mixtum autem regimen tale est, ut si quis alterius partem velit occupare, cunctaq. ad se trahere absoluteq. imperare, pars, quæ spoliari metuit, possit intercedere, contradicere, & si necessitas postulet, etiam vi uti, postquam tamen omnia tentata fuerint, ne ad vim transeatur. nec enim mixtum regimen dicitur regnum, in quo sunt quidem magistratus, sed sic pendent à nutu regis, ut eos omnes possit repellere, & dignitate exuere, cum quisq. norit Regem indigere administris, indigere etiam legibus, & moribus. in regimine autem mixto sunt magistratus, sunt leges, sunt mores, sed quos tollere non potest Rex, cum præstò adsint, quibus summæ potestatis partem habentibus licet iura recepta tueri. dices, eum qui dominatur Belgio dominari absolutè, et re sic poscente posse quaslibet Prærogatiuas, quaslibet iura quamuis antiqua remouere substitutis alijs. Hoc verò negabunt rerum Belgicarum periti. nam qui absolutus est Rex non iurat populis se prærogatiuas eorum non violaturum. At Rex, Princepsq. Belgarum iurabat, ut est videre apud Ludouicum Guicciardinum in descriptione Belgij pag. 88. quod si non alligaretur iuramento nisi quatenus ipsi placeret ab eo non discedere, non esset cautum po-*

pulis. Quid enim si Rex iuramentum flocci faciat? ne igitur sit inane iuramentum, necesse est sic teneri Regem, Principemq. vt videatur frangi posse fides ei, qui fregit fidem, hoc est non videantur obstringi populi vinculo quo se alligarunt illi qui vinculum, in quod iurando se induerat, à se proijcit. nec silendum, cum de natura Regiminis mixti egetimus, non absolutum videri Regis Catholici in Belgium imperium, nam prouinciæ illæ optimo regimine, mixto scilicet continentur; quod non assererem nisi præstò haberem testem omni maiorem exceptione Ludouicum Guicciardinum accuratissimum rerum Belgicarum interpretem, quam cognitionem longo vsu, diuturna in illis regionibus mora adeptus fuerat. ipse igitur in descriptione Belgij, pag. 90. sic loquitur: questo è vn modo di gouerno (*quello della Brabanza e d' Anuersa cum quo ait similitudinem habere reliquum Belgium, imò Germaniam totam*) à mio giudizio poco differente, se però fusse totalmente osseruato, dalla forma, che dà Polibio grauissimo filosofo, & historiografo alla vera e felice Republica. perche vuole, ch'ella sia mescolata da tre Stati Monarchia, Aristocratia, e Democratia, doue il principe ritenga il suo Imperio, gli ottimati la loro authorità, ed il popolo la potestà, e l'armi. *vide quæ plura ibi sequuntur in laudem regiminis mixti. Nostri verò temporis homines scriptores profectò pusilli, vt blandiantur Regibus, auribus Principum rem gratam faciant, in immensum extolũt Regiam potestatem, cupiuntq. sub ipsis homines esse abiecti animi omniaq. onera, quæ sibi imponuntur etiam præter leges, ferre humileq. obsequium absq. vlla contradictione præstare*

regem.

regentibus. quod verò nomen mereatur Princeps ille, qui vult populum esse abiectè humilem, non ego iam dicam, cum Famianus id exploratum habeat ex magistro Aristotele.

Recensetur quædam causa belli Belgici à Famiano fortè omissa. Cap. XIII.

Causas belli Belgici cum non indiligenter enarret Famianus, vnam ex ijs, nisi maximè fallor, videtur omisisse, iram scilicet Numinis ob pollutam, violatamq. religionem. Quis enim non miretur sedatis motibus à Margarita Gubernatrice, pacataq. tota prouincia, missum tamen Albanum in Belgium cum veterano exercitu quasi gesturum bellum, cum tamen tranquillitas regioni non deesset? horribili impietate passim à furente populo in præcipuis vrbibus, & oppidis oppugnata fuit antiqua veraq. religio confractis combustisq. imaginibus sanctorum, euersis altaribus, pulsis sacerdotibus, conculcata Sancta Eucharistia, inuectis monstrosis opinionibus, hydraq. variarum sectarum conflata. Ergo tantum scelus populorum sanguine, prouinciarum desolatione expiandum fuit. apud Romanos certè, qui tamen vera religione destituebantur, signum publicæ calamitatis imminentis erat, si quæ Virgo Vestalis incæstum committeret. putabatur enim fore, vt Numen totum populum plecteret, tanti sceleris admissi causa. hinc tam accuratè talem puellam plectebant, & tam seueri ad auerruncandum malum, quod eiusmodi incestus videbatur portendisse, insurgebant. Ita quando fulminabantur templa, iratum Iouem pollutæ religionis causa

 inter-

interpretabantur. non enim Iouem sua templa fulminare aiebant quasi auersaretur religionem; sed mittere tela in ædes sacras, vt intelligerent mortales minus pure, minus castè procurata, peractaq. sacra. inde colligere est, quam sanctos, & ab omni labe, si possit fieri intactos, deceat esse nostræ veræ Religionis antistites, & sacerdotes. nam si non integros mores ad altaria dei immortalis adferant videtur violari religio, ita absq. dubio diuina irritatur: hinc in Veteri testamento non vno in loco sic loquitur Deus, quasi sacrificia contemneret. Non auersabatur cæsas victimas, sed quod religionis vsus cum sanctitate vitæ non coniungeretur, iratus erat.

De taciturnitate Orangij. Cap. XIV.

DE ingenio Orangij quando agit Famianus ait eum fuisse sui obtegentē & inaccessum pag. 109. hinc alibi narrat Granuellanum Cardinalem cum Romæ audiret ab Albano captos proceres Belgij, quæsisse illico num taciturnus in vincula tractus esset? vbi sciscitetur aliquis, an taciturnitas in vitijs ponenda, & culpandus, qui paucorum est verborum? quod negaueris, cum eo nomine commendatum sciamus egregium virum apud Romanos quod parcè loqueretur. Poeta sanè nimiam facilitatem in loquendo perstringens, ait quod verbum persuasit leg-

 tum

tum dentium? & natura ad cohibendum immodicum sermonem duplici veluti vallo linguam coercuit dentibus scilicet, & labijs: exclamat & ille: nescit vox missa reverti. notatum nihilominus haud immeritò à Famiano Orangium asseruerim, quod taciturnus, sui obtegens, inaccessusq. esset quod non præteriuit in Tiberio Tacitus, quem etiam ait ambiguis vsum verbis, ne quæ latebant arcana manarent. Taciturnitas enimuerò laudabilis in eo, qui solidam virtutem colens non inani iactantia, aut vana pollicitatione, cum nihil quod alijs possit obesse moliatur, in breuem gyrum contrahit sermonem. prudens etiam dat operam, ne quicquam temere effutiat dicatq. quod dictum nolit. At qui subdoli sunt, & ingentia facinora affectant, imprimis cauent, ne loquendo suspectos se reddant, seq. in discrimen dent prolatis verbis, ex quibus de consilijs perniciosis, & ausis exitialibus iudicium viri prudentes facere possint. Certè qui vitæ ciuilis habent vsum obseruant facinorosos, prauosq. homines plerumq. cogitationibus ita occupari, sibiq. ita timere, vt silentium colant, & quam paucissima proferant verba. nam qui loquitur vix tam cautè loqui potest, quin promat, quod coniecturam de ijs, quæ versantur in animo ingerere queat. Sunt autem aliqui natura taciturni, non studio, & circumspectos forte etiam dixeris, non autem malitiosos, & scelerum architectos. Orangius porrò cæteroqui disertus, & facundus, sui compos, sibiq. imperans sciebat tacere, vbi opus, norat tegere consilia cum discrimine capitis coniuncta si detegerentur, subtra-

subtrahebat sese & adiri non patiebatur etiam ab ijs, quibus se familiarem præbebat. adeò parem negotijs ingentibus, in quibus versabatur, vt obesset Regi, se ostendebat. Vt autem taciturnorum parcèq. loquentium diximus duplex esse genus, ita non vnum est eorum, qui multa profundunt verba. Aliqui namq. multo cum sint sermone, sunt etiam rimarum pleni, perfluuntq. arcana retinere nescientes. quos necesse est dicamus esse simplices, nemini inaccessos, & qui minimè alijs, sibi plurimum obsint. læsi enim mox erumpũt in minas, quæ ipsis tela manibus excutiunt, cum cauti mox reddantur, quibus minati sunt. sunt alij, qui ingenti verborũ volubilitate, callidissimi cum sint, maximèq. versatiles suiq. potentes, vtuntur non ad effutienda arcana propria, sed ad elicienda aliena. blandiendo enim, beneuolentiam coptando, insidias auribus faciendo videntur sese ijs, quibuscum loquuntur, maximè familiares & amicos reddere, & secreta sua effundere, cum tamen in eiusmodi sermone nihil tale reperiatur, obtinent interim apud homines minimè malos, vt cum videantur amicissimi eos deducant ad detegendos animi sui sensus exponendaq. quæ minimè oportuit. Tales sunt non pauci è numero aulicorum, à quibus proinde oportet sibi studiosè cauere.

De

De caluitio Principis Orangij.
Cap. XV.

EVndem *Orangium* capite recaluo *fuisse pag.* 168. *narrat Famianus*, & *pag.* 607. *sic scribit*. nudato capite subridens, vides, *inquit Orangius*, hoc caluitium? scito me non magis capite, quam corde caluum esse. *an in laude ponendum caluitium? ambegeris, si non minus rationes, quam exempla trutinæ imposueris. Non enim paucos viros prudētes, imò sapiētes fuisse caluos historia temporum docet Diogenem & Socratem caluitio obnoxios testatur Synesius in encomio Caluitij, quibus addere non dubitat ipsum Achi lem. nec tacet Æsculapium caluo capite cultum. Cæsar profectò caluus fuit, vt & Iustinianus inter Imperatores suspiciendi. non omiserim ipsum Synesium, qui Philosophus fuit doctissimus, tandemq. Christianorum antistes noui & ego Herculem Salis tribunum militum magna olim apud Rhætos præditum auctoritate, quem omnes vt valde sagacem obseruabant. pronunciat autem Synesius caluitium esse argumentum sapientiæ & prudentiæ. id si verum, an vitio tribuendum Orangio, quod capite fuerit recaluo? At militant multa contra caluos, contra caluitium. nam Cæsarem pudebat caluitij, militesq. in ipsum vt deformem caluitio iocabantur, monentes Romanos, vt custodirent vxores. an laudes eum, quem proceres Romani vt Tyrannum occiderunt, quos inter Cassius & Brutus ob eiusmodi facinus Heroes non semel à Cicerone dicti? Caluus quoq. fuit Domitianus, te-*

ste Iuuenali, qui sæuum Principem caluum Neronem appellauit. *Procopius quoq. in arcana historia vndiq. omnia comportans quæ ad vituperandum Iustinianum facere possunt, caluitium, vt sanguinario & subdolo exprobrat. Et verò negare non possumus defectum esse vitiumq. capitis caluitium. natura namq. texit caput capillis, vt res ostendit, quibus qui destituitur, naturæ beneficio caret. Vt autem naturæ institutum salutare & boni index, ita si illud ipsum desit quid ni malum, & infaustum signum interpreteris? cum præsertim morbo quibusdam defluere capillos videamus, obq. senium non paucos ad id redigi animaduertamus. Nam quod sapientes, & prudentes dicit esse Synesius caluos, forte melius cum Italis asserueris esse astutos, nimiumq. callidos, atq. adeò aut cauendos, aut saltem obseruandos, ne lædant. Sed pro Synesio affirmaueris caluitium indicare prudentiam & sapientiam, cum sapientia sit in sicco. Siccitas autem capitis caluitium videtur parere. His vltrò citroq. prolatis, quid efferendum, quæ sententia de caluitio deducenda? Non is sum, qui palam damnare ausim caluitium, prauæq. calliditatis accusare caluos, laudare tamen cum Synesio idem caluitium nec volo nec possum, cum comam, capillosq. à natura tributos hominibus videam. Ergo saltem caluitio præditos notari debere putarim, non vt palam malos, sed suspicioni tamen aliquali obnoxios. quod verò tenderit caluitium Orangij ad fouendam propagandamq. hæresim Caluinianam res docet ipsa.*

An

An Mauritius regiam dominationem in Batauos exercuerit? Cap. XVI.

DE *Mauritio Nassouio lib. IV. pag. 208. hæc premit verba Famianus* : Mauritius apud Batauos (qui finis esse plerumq. solet diuturni regiminis) alio nomine dominationem propemodum exercuisset; *quibus indicat Batauos desciscentes à Rege Catholico non obtinuisse libertatem, quandoquidem Mauritio paruerunt, Mauritium passi sunt dominari, licet regio non vteretur titulo, cuius rei causam tribuit diuturno regimini, nam regimen quotidie crescere videtur, vt tandē ad fastigium pertingat. sed quia cautus est Famianus nouitq. Mauritiū non fuisse Regem, temperat dominationē quā ipsi tribuit in Batauos adiecto aduerbio:* propemodum *at tēperetur sanè vocabulum dominationis, non efficiet Famianus, vt dicatur Batauorum dominus fuisse Mauritius, ipsiq. sub ipso excidisse libertatem ferantur. nam aduerbium* propemodum *viciniam significat, & similitudinem, similitudo autem, quando agitur de speciebus regiminis, diuersas species quæ inter se differunt, nec cōmiscentur, nō tollit. quanta est similitudo inter Monarchiam siue Tyrannidem, & Principatum, siue Regnum? vtrobiq. vnus imperat magna cum autoritate, & potestate. Toto tamen cœlo differt Rex à Tyranno. Rex & bonus Princeps volentibus imperat, Tyrannus nolentibus. Rex amatur, Tyrannus odio habetur, & metuitur. Rex siue bonus Princeps seipsum ad populum, Tyrannus populum ad se refert. singula*

ste Iuuenali, qui sæuum Principem caluum Neronem appellauit. *Procopius quoq. in arcana historia vndiq. omnia comportans quæ ad vituperandum Iustinianum facere possunt, caluitium, vt sanguinario & subdolo exprobrat. Et verò negare non possumus defectum esse vitiumq; capitis caluitium. natura namq. texit caput capillis, vt res ostendit, quibus qui destituitur, naturæ beneficio caret. Vt autem naturæ institutum salutare & boni index, ita si illud ipsum desit quid ni malum, & infaustum signum interpreteris? cum præsertim morbo quibusdam defluere capillos videamus, obq. senium non paucos ad id redigi animaduertamus. Nam quod sapientes, & prudentes dicit esse Synesius caluos, forte melius cum Italis asserueris esse astutos, nimiumq. callidos, atq. adeò aut cauendos, aut saltem obseruandos, ne lædant. Sed pro Synesio affirmaueris caluitium indicare prudentiam & sapientiam, cum sapientia sit in sicco. Siccitas autem capitis caluitium videtur parere. His vltrò citroq. prolatis, quid efferendum, quo sententia de caluitio deducenda? Non is sum, qui palam damnare ausim caluitium, prauæq. calliditatis accusare caluos, laudare tamen cum Synesio idem caluitium nec volo nec possum, cum comam, capillosq. à natura tributos hominibus videam. Ergo saltem caluitio præditos notari debere putarim, non vt palam malos, sed suspicioni tamen aliquali obnoxios. quod vero tenderit caluitium Orangij ad fouendam propagandamq. hæresim Caluinianam res docet ipsa.*

An Mauritius regiam dominationem in Batauos exercuerit? Cap. XVI.

DE *Mauritio Nassouio lib. IV. pag. 208. hæc premit verba Famianus* : Mauritius apud Batauos (qui finis esse plerumq. solet diuturni regiminis) alio nomine dominationem propemodum exercuisset. *quibus indicat Batauos desciscentes à Rege Catholico non obtinuisse libertatem, quandoquidem Mauritio paruerunt, Mauritium passi sunt dominari, licet regio non vteretur titulo, cuius rei causam tribuit diuturno regimini, nam regimen quotidie crescere videtur, vt tandē ad fastigium pertingat. sed quia cautus est Famianus nouitq. Mauritiū non fuisse Regem, temperat dominationē quā ipsi tribuit in Batauos adiecto aduerbio:* propemodum *at tēperetur sanè vocabulum dominationis, non efficiet Famianus, vt dicatur Batauorum dominus fuisse Mauritius, ipsiq. sub ipso excidisse libertatem ferantur: nam aduerbium* propemodum *viciniam significat, & similitudinem, similitudo autem, quando agitur de speciebus regiminis, diuersas species quæ inter se differunt, nec cōmiscentur, nō tollit. quanta est similitudo inter Monarchiam siue Tyrannidem, & Principatum, siue Regnum? vtrobiq. vnus imperat magna cum autoritate, & potestate. Toto tamen cælo differt Rex à Tyranno. Rex & bonus Princeps volentibus imperat, Tyrannus nolentibus. Rex amatur, Tyrannus odio habetur, & metuitur. Rex siue bonus Princeps seipsum ad populum, Tyrannus populum ad se refert. singula*

quod memorem? quod verò ob diurturnitatem non absolutam dominationem obtinuerit in Batauos Mauritius ex eo clarissimè discere est, quia cum de inducijs ineundis cum Rege Catholico ageretur & ipse maximè ab ijs abhorreret, cum prospiceret tempore pacis non se habiturum pristinam auctoritatem, & præterea Reipublicæ noxias fore putaret non potuit, vt maximè niteretur, impedire quo minus inirentur. hinc eminentissimus Cardinalis Bentiuolus in Relatione de fœderatis prouincijs lib. III. cap. II. E grandissima l'autorita del Conte Mauritio appresso le prouincie vnite. con tutto ciò non è dubio, ch'era maggiore di gran lunga durante la guerra, che non è hora, posate l'armi. *Tantum igitur abest, ò Famiane disertissime, vt Mauritius diuturnitate regiminis ad fastigium perduxerit auctoritatem, vt potius profligato bello minoris fieri, quam cum vigeret bellum, cœperit.*

De ijs, qui suaserunt Philippo Regi, vt ex longiquo responsa daret, perpenduntur quædam verba Taciti in eam rem.

Cap. XVII.

F*Amianus lib. IV. pag. 210. redditurus causam cur Rex Philippus ad colloquium Baionense se conferre noluerit, inquit:* ex longinquo melius responsa daturus. *quibus verbis absq. dubio respicit oracula antiqua, ad quæ consulenda cum susciperetur longum iter, vt in Africam ad Ammonem, Delphos in Peleponnesum ad Apollinem, maioris fiebant responsa, quæ reddebantur. solemus*

enim peregrina & remota, imò & difficilia, quam præsentia obuia, & facilia paratu magis æstimare imitatus etiam videtur pater Famianus dictum Taciti primo Annalium de Tiberio nolente proficisci ad reprimendam seditionem militarem in Germania exortam ait namq. Tacitus: Maior ex longinquo reuerentia *quæ verba proferuntur quidem apud Tacitum, sed non à Tacito quasi probaret artificium Tiberianum manant; cum appareat Tacito placuisse sententiam Romanorum, qui rectè putabant Imperatoris esse illico occurrere periculis exorientibus, & incendium in prima flamma apprimere, non verò hærere Romæ, verba patrum cauillari, senatoribus, in signioribusq. patritijs insidias, imò exitium struere, quod Tyrannorum est, qui excellentes viros, vt sibi non conducibiles ferre nequeunt. ipse verò Tiberius, aut Tiberio palpum obtrudentes, defensuri segnitiem Tiberianam; aiebant:* maiorem *esse* ex longinquo reuerentiam. *quod verum est de oraculis, de mysterijs. Mos enim veterum non quemlibet, sed tantum initiatos admittebat ad arcana sacra inspicienda, cæteros, velut profanum vulgus, submouebat. Nam eiusmodi secreta longè erant res tenuior quam præcipiebant, qui non inspexerant. Ergò ne in contemptum venirent promiscuo populi, plebisq. conspectui subducebantur. Minus autem rectè id ad Principes, præsertim egregios transfertur. nam benè dixit Virgilius:* viget præsentia Turni. *& excitantur ad rem strenue fortiterq. gerendam exercitus, quando sciunt adesse Regem, quod nemo non nouit. in senatu quoq. & in consessu procerum longè accuratius exquiritur verum si coram audiat Princeps, & sententiam cuiusq. libret,*

bret, trutinet. Cur verò tantopere extollimus Carolum Quintum? quia plurimos labores vt tueretur Religionem & imperium exantlauit. Cur ille ipse abdicauit se imperio? animaduertebat se imbecilliorem esse, quam vt ducere copias posset, existimans non bene geri bellum & protrahi magno cum detrimento populorum, si absit imperator, quod res docuit sub Philippo Rege nec enim finem ipse bello Belgico imponere potuit cum pater in Germania Smalchaldici fœderis Principes & vrbes intra paucorum mensium spatium in ordinem redegerit, parere coegerit, gloriosa de ipsis reportata victoria. Non hæsit Mantuæ Carpetanorum, non putauit se ex longinquo melius responsa daturum, *non existimauit ex remoto maiorem esse reuerentiam. imò credidit suarum esse partium pro Republica, pro Imperio caput obiectare periclis. Valeant igitur qui suaserunt Philippo, ne pedem efferret Hispania, sed ex ea, velut Delphicus Apollo, responsa daret.*

De quadam suspicione Famiani aduersus Egmontium. an & quatenus liceat historico suspicari? Cap. XVIII.

R*Eprehendit Famianus in historica prolusione suspicaces historicos, suspiciose scribentes res gestas. Nescio verò an ipse prorsus suspicionum sit expers, nam cũ scripsisset pag. 376. libro VII. Egmontium sacramentum Regi dixisse, se disparasse à fœderatis, iisq. comminatum, Gubernatrici suã operã addixisse, mox subijcit* sed ea siue ex animo faceret Egmontius, fœderatorum mores iã

exosus

exosus, siue Gubernatrici ostentaret. *vides in transitu Famianũ suspicari in re tam graui finxisse Egmontium & iurasse lingua cũ iniuratã haberet cor. quæ quidem suspicio historici grauem inurit maculam tanto viro cùm præsertim alibi Famianus dixerit fuisse ipsum apertum, & pag.* 168. *eidem tribuat* explicatum ingenium. *quæ protuli non quod putem magnopere succensendum Famiano, sed vt ostenderem fas quandoq; suspicari historico. nam nemo dubitat ipsum debere cautè se gerere eiusmodi in suspicionibus neq; temerè eas suis narrationibus inserere. aut igitur putat Famianus debere historicum prorsus à suspicionibus abstinere aut quandoq. suspicari ipsi fas esse sentit. si dicat illud, seipsum reprehendit, qui suspiciosè quandoq. finxit stylum exarans historiam Belgicam. si verò hoc asserat, nos cum ipso sentimus, nec putamus par esse, vt valde indulgeat suspicionibus, qui annales componit. At inquiet, in mea prolusione reieci Tacitum adeò suspiciosum, & quidẽ leuiter suspiciosum. reieci eos, qui nostrorum temporum, texuerunt historiam suspiciose. de Tacito alibi viderimus, qui non adeò vt existimat Famianus frequẽter suspicatur. quando suspicatur de Augusto, de Tiberio, suspicatur de Imperatoribus admodũ astutis, ne dicã subdolis præsertĩ cũ de Tiberio sermo sit; quas suspiciones non ipse videtur cudisse, sed ab Annalium conditoribus qui tunc versabantur in manibus hominum, accepisse, vt quisq. fidem Taciti in anterioribus historicis agnoscere possit. de historicis autẽ nostris si loquatur pater, fateor me nescire quẽ petat, quem vt suspiciosũ, et temere suspiciosũ damnet. Nã Guicciardinus, scriptor grauissimus, summaq. apud viros doctos auctoritatis*

ma-

magna cum libertate, vt erat excelso præditus ingenio, detestatus est scelera in ijs, quorum res gestas narrauit, execratus fœdera violata, fidem læsam aliaq. crimina, non suspicando, sed narrando quæ compertissima erant, sic generosus extitit diuinæ prouidentiæ administer, puniuitq. Principes, qui ambitioni litantes ius fasq. conculcarunt, contriuerunt. dices, non debuisse suscipere scribendam materiam adeò infelicem: imò scribenda fuit quia præstò erat, à nemine composita & explanata. an veteres memorias iã pridem scriptas narrasset? hoc fuisset actum agere. recensuit verò quæ sibi erant comperta, & quorum aliqua pars fuit. Ridiculum autem est infelicitatem materiæ narratori obijcere, nam non licet quotidie historicum argumentum inuenire, ex cuius tractatione laudem fas sit parare. nec infelix potest dici materia, quæ complectitur magnos motus, bella diuturna & grauia. Nam quod quæso bellum non est coniunctum cum iniquitate erga immerentes agricolas, opifices, pueros, puellas? in bello incenduntur villæ, desolantur agri, violatur Religio, vis infertur pudicitiæ. Ergòne à talibus memorandis est abstinendum? imò narrantur & relata sunt & memorabuntur, quamdiu supererunt litteræ. Annon Famianus describit accuratè scelera horribilia à perditissimis furiosisq. Gensijs in sanctissimam nostram religionem Catholicam commissa & Belgij tot clades recenset? describit etiam & detegit ambitionem, fraudem, dolos varios, vim deniq. Orangij & sociorum. Cur reprehenditur Tacitus quando scelesta consilia saui Tiberij ob oculos ponit?

De monſtro Leodij nato, de incendio Mechliniæ exorto; quæ videntur portendiſſe calamitates deinceps ſecutas.

Cap. XIX.

LIB. VII ad an. MDLXVIII. p. 431. *ait Famianus præſagiuiſſe aliquos calamitates futuras ex puero Leodij nato bicipiti, quadrupede, quadrimano, exq. incendio Mechliniæ exorto. quales fuerint, qui præſagiuerunt, non ait Famianus plebeijne, an prudentes, ne videatur eas præſagitiones aut approbare aut reijcere. apud peripateticos ſanè philoſophos eiuſmodi obſeruationes, vt & apud Epicureos, non reperiuntur: quia putant talia fortuitò euenire. eſſe autem fortuita probant ex eo, quia monſtra rarò naſcuntur, & quia non ſunt ſecundum ſcopum, inſtitutumq. naturæ. Sed hæc animis hominum numquam potuit euelli, nec euelletur opinio eiuſmodi oſtenta ominoſæ eſſe ſignificationis. apud noſtrates profectò hiſtoricos, Guicciardinum, Iouium, atq. alios non prætereuntur. quod ſi planè vana forent, præterirentur certè. Antequam pellerentur Mediolano Galli horribile incendium in vrbe exortum & quod latè ruinas dedit, in peſſimam partem ab ijſdem Gallis acceptum fuiſſe refert grauiſſimus ſcriptor Guicciardinus. Famianus tamen videtur in eorum eſſe numero, qui talia planè contemnunt: nam mox ait* Albanum iactura potius (*facta ob incenſum pulverem*) quam præſagitione commotum, *fundaſſe arcem Antuerpiæ. dixiſſet Famianus inauſpicato ab Albano talem conſtructionem ſuſceptam,*

tam, & debuisse potius præsagitione ob magna mala aduersus totam regionem exoritura, quam ob exiguum damnum ex incenso puluere sulfureo, & confecto percelli. sumpsit autem suam obseruationem Famianus à vulgo Italico, nam quando audiunt aliquid accidisse, quod videatur portendere malum, mox ridendo aiunt damnum esse non futurum, sed quod tunc contigit, vt si quis nauigaturus in ipso ingressu nauis aut ceciderit in aquam mox extractus aut impegerit grauiter, & is ad nauigandum sit factus impiger, aiunt malum fuisse quod ceciderit in aquam, aut impegerit. Quid verò impedit minus malum esse maioris mali signum? At inquiet Famianus, de incendio Mechliniæ exorto si sermo sit mirum non esse exortum incendium, cum non haberentur seorsim elementa, quæ tormentariam pestem componunt. *culpandi igitur mortales, qui talia ad vitanda incendia non disparant, non verò existimandum exorto incendio, à Numine indicari futuras calamitates. Sed quæro ego ex Famiano, qui fiat vt talia incendia comitetur insignis aliqua calamitas? & hoc potius die, quam illo incendatur puluis, & plurimis in locis, vbi materia est apta excitare incendium non feratur fauilla ad incendendum puluerem? Si dicat hæc omnia casui imputanda, viderit ipse an res tanti momenti extra diuinæ prouidentiæ curam sint ponenda, & talia prorsus fortuita appellare non sit ad castra Epicuri transire?*

De

De columbarum ministerio in obsidione Harlemensi, & Lugdunensi. Cap. XX.

D*E columbarum ministerio, & vsu in obsidione Harlemensi hæc habet Famianus libro VII. pag.* 518. paulò antequam clausa fuisset nuncijs via, Harlemenses ex vrbis columbarijs ad Orangij classem, & vicina sociorum oppida columbas aliquot cicures asportarunt quæ deinceps, vbi opus fuit, cum litteris subter alis alligatis emissæ, tecti quæq. sui prolisq. memor, Harlemum reuolabant. *eadem ratione postea Leydensibus obsessis consultum, vt idem refert libro VIII. pag.* 545. consilio cum lugdunensibus opera columbarum communicato. *Cardinalis Bentiuolus eius rei in descriptione eiusmodi obsidionis non meminit. sed meminit Thuanus lib. LIX. anno MDCXXIV. Easdem columbas commendauit suis versibus Dan. Heinsius, vt extolleret operam quam Douza præstitit Lugduno obsessæ.*

Ex quo fortis Iber phœbeam clauserat vrbẽ,
Dicturasq. suis omnia misit aues.

Locutus paulò antea fuerat de columbis Veneri caris,

Et modò consistit, geminis modò rura columbis
Circuit, has Veneris munere semper habet.

Idem Heinsius de eodem argumento composuit epigramma Græcum, & alterum latinum. latinum sic clauditur:

Quid patriæ non pręstat amor? qui falleret hostem
Dousa virum nequijt mittere, misit auem.

De Iohanne Auſtriaco ſumente habitum mancipij. Cap. XXI

FAmianus lib. IX in principio p. 590. narrat quo die capta eſt Antuerpia anno MDLXXII. Belgium intraſſe Iohannem Auſtriacum. Cum verò tranſiret per Galliam ne agnoſceretur finxiſſe ſe Octauio Gonzagæ mancipium infuſcato ore, vibrato capillo ac barba Æthiopis in modum. vnde apparet inauſpicatum fuiſſe eiuſmodi iter Auſtriaci, talem ingreſſum. die namq. prorſus funeſto opulentiſſimæ vrbi, quæ præcipua in Belgio, Antuerpiæ contigit. quando autem magni Viri, viriq. Principes ſumunt habitum fictum vilis alicuius homuncionis, id abſq. dubio ominoſum. Vita enim hæc fabula eſt. ergò ſi quis cæteroqui magnus ſumit perſonam abiectã, id ipſi calamitatem portendit. Auſtriaco profectò ſtatim atq. ingreſſus eſt Belgium, leges voluerunt ſcribere Ordines, quod forte indicabat mancipij habitus. Ludouicus Sfortia cognomento Maurus vt lateret Gallos, gregarij militis ſumpſit veſtẽ, ſed agnitus tractus eſt in miſerabilem captiuitatem. ſupereſt hac tempeſtate Princeps ſanè calamitoſus, qui fugiens è ſua regione habitu Carbonarij fefellit eos, à quibus forte detentus fuiſſet. hinc ego adoleſcentibus recitaturis in ſcena, ſoleo ſuadere ne perſonam turpem agant ad vitandum malum omen.

De

De Marnixio, quem Famianus *ingeniosissimè nequam* appellat, Cap. XXII.

PHilippum Marnixium hominem ingeniosissimè nequam pag. 610. appellat, & quidem merito Famianus. eiusmodi autem descriptionem sumpsit mutuò à Velleio Paterculo, qui Curionem incentorem belli ciuilis inter Pompeium & Cæsarem sic descripsit. *Eo in homine multa erant laude digna, & profutura valde Rei Romanæ, nisi ijs abusus, in præceps omnia dedisset.* Summa eloquentia, summa apud populum gratia ex historicis didicimus præditum fuisse Curionem, qui primum visus est fauere Reipublicæ, stare à Pompeio, mox mutatus studium suum probauit Cæsari arripere dominationem in populo libero cupienti. Obseruat autem Lucanus Curioni obfuisse tempora, quibus Romæ luxus ambitusq. duæ pestes liberarum ciuitatum regnabant, à quibus velut à torrente abreptus cladẽ & exitium attraxit patriæ. Ita multum refert, in quæ tempora ingenia excelsa incidant. Pauci enim sunt Catones, qui constanter, & immota virtute velint adhærere honesto, illudq. aduersus quemcunq. contempto omni periculo, ipsaq. morte tueri. Iuuenis erat Curio, voluptatibus deditus, æri alieno obnoxius, impetu valens igneoq. rigore. facile fuit Cæsari eum sibi emere, mancipare. Extra eiusmodi aleam si collocatum fuisset ingenium Curionis, si reperisset apud Romanos frugalitatem, si erga leges reuerentiam, si in conferendis Magistratibus libera minimèq. redempta suffragia, profuisset absq. dubio patriæ, &

dotes animi, quibus pollebat promouendæ publicæ felicitati impendisset. perdidit ergò tam præclara dona corruptissima temporum conditio, luxu marcens, ambitui seruiens. Iudicium verò Lucani, quod de Curione fecit, si transferemus ad Marnixium, aliosq. qui superiori sæculo noxij fuerunt rei Christianæ, non absurdè dicemus ipsos ab hæresi magnum in modum tunc gliscente, inualescente inuolutos erroribus, quos ut valebant ingenio, & lingua asseruerunt, commendarunt, propagarunt. Annon torrens (talis est hæresis) cum stabulis armenta trahit? *omnia obuia decutit & deportat communis error, cum paucorum sit aduersus torrentem brachia dirigere. Quam multi tunc, cum & Marnixius iuuenis potaret venenum Caluinianæ hæreseos, quam ingenti studio se conferebant Geneuam, vt audirent Caluinum. Narrat profectò Hieronymus Zanchius, se cũ in ea vrbe degeret audiuisse quendam qui Caluinum, Doctori gentium Paulo præponere non verecundaretur. Tantum studium erga dogmatum nouitatem cum vigeret, non pauci, qui cæteroqui ad optima quæq. nati videri poterant cõmuni labi se dediderunt. Eum in modũ Iosephum Scaligerum adolescentem seductum nouimus ab Antonio Sadeele in Colloquio autem Possiaceno sua facundia, quæ velificaba ur hæresi, magnam hominum multitudinem in nouas sentẽtias ab antiqua Catholicaq. veritate abhorrentes traxit Beza. hac verò tempestate, qua deferbuit erga hæresin affectus quam multi non plebeij & non imperiti homines, imò proceres ad Catholicã Ecclesiã transeunt. debent ipsi multum conditioni temporum iam tandem sectariorum nouellitatem fastidire incipientium.*

Qua-

Quatenus verum sit, quod repetit Famianus: Principibus non credi de coniuratione nisi sublatis? Cap. XXIII.

DE coniurationibus aduersus Reges, & Principes quando agitur non sunt tanta cum latitudine verba repetenda illius imperatoris, qui dixit Principibus de coniuratione non credi, nisi peremptis; quanta ea recenset Famianus lib. IX. ad annum MDLXXVII. p. 618. Nam si historiam, si præterita tempora repetamus nō paucas coniurationes aduersus Principes verè initas, vereq. & prorsus palam detectas reperiemus, Principibus ipsis saluis minimèq. peremptis. de gemina sanè coniuratione aduersus Alexandrum Magnum prorsus dubitatum non fuit; de quibus ego in meo cōmentario Etrusco de rebus Alexandri. quā neminē clā fuit coniuratio Pisoniana contra Nerone ipso non interēpto. nostra tēpestate quis nescit à Castello petitum Hen. cū quartū Galliarū regē, excusso dente, sed incolumi ipso? & antea Mediolanēsē Ducē è Sfortiarū gente vulneratum à Vicecomite. ne dicam de Mauritio Nassauio, cui omnes sciūt insidiatos Barnefeltij filios. prolata sūt verba, quæ repetūtur à Famiano, quod sæpius euenerit, vt Principes ostēderēt se sibi metuere, neq. tutos esse. quē metū mortales plerūq. vt vanū irriserunt, quod putarēt difficile esse conspirare contra Principē esseq. rē prorsus arduā. Res tamē ipsa docet, aliquos fuisse summa celeritate sublatos, qui si dixissent sibi imminere periculum vix fidem inuenissent. satis autem constat exempla etsi pauca, sed illustria in re aliqua satis habere solere causa ad construendam sententiam, quæ sua latitudine apud omnes deinceps se tuetur.

In

In eãdem rem, de duplici coniurationum genere. Cap. XXIV.

VT quæ annotatione præcedenti protuli de coniurationibus aduersus Principes illustrentur, obseruandum fuerit coniurationes vel suscipi ab vno atq. altero, vel communicari cum multis. quæ ab vno atq. altero suscipiuntur solent plerumq. exitu non carere, vt annales clamant. sic occisus est Philippus Rex Macedoniæ à Pausania, atq. alij. Quando autem res communicatur cum multis, sæpius detegitur & emanat. difficile enim est in magno numero conspirantium non reperiri aliquem, qui allectus spe ingentis præmij aut perteritus metu non detegat. Quod si Princeps ostendat sibi paratas insidias ab vno atq. altero, ad exitum non deductas nõ facilè inueniet fidem: dicent enim qui talia audiunt verisimile non esse eiusmodi consilium susceptum fuisse, quin potius calumniam pati accusatos, & tormentis adactos prodere, quæ minimè cogitassent. quod si contingat à coniuratis interimi Pricipem, res ipsa clamat verè aduersus ipsius vitam coniuratum fuisse.

Per-

Perpenditur quædam coniectura Famiani de Paulo Tertio prædicente Alexandrum Farnesium fore magnum armorum ducem. Cap. XXV.

REprehendit Famianus in prolusione historica eos historicos, qui coniecturas proprias narrationibus assuunt, & attexunt. at ipse suis libris de bello Belgico non paucas inseruit, quod & pleriq. alij etiam veteres fecerunt inter quas coniecturas Famiani lubenter expenderim eam, quæ reperitur lib IX. anno MDLXXVIII. pag. 630. Accessit, *inquit*, Pauli pontificis prædictio, qui allatos ad se Alexandrum, & gemellum fratrem Austriacæ parenti gratulatus imposita, super Alexandri verticem manu, addidisse ferebatur, illum, si quid veri præsentiret animus, magnum armorum ducem aliquando futurum. Credo ex nominis occasione Alexandrum alterum auguratus. nam aliunde diuinationem trahere, vanum habeo. *Sed aliunde etiam, aut potius aliunde, quam ex nomine auguratum fuisse Pontificem summum, aliqua probabile reddunt, nam si ex solo nomine auguratus esset, non omisisset alterum. quis enim nescit Carolum Magnum, & Carolum V. auum Farnesij, quando de armis agitur auspicatum reddidisse eiusmodi nomen? nec est necesse augurari fore magnum armorum ducem eum, qui Alexander appellatur, cum aliquot clari nominis philosophi extiterint Alexandri vocati, de quibus ego non indiligenter egi in meo opere de Philosophia apud Romanos ini-*

tio & Progressu edito Pisis, quod dici non potest de ijs, qui Caroli appellantur. quam vero præclarè potuisset dicere Pontifex, si nomen respiceret: hic renouabit gloriam bellicam sui aui. quod lubentius protulisset. videtur igitur Pontifex, quem satis constat non prorsus spreuisse Genethliacorum obseruationes, quod notum ex commentario Cardani in Ptolomæum, iam consuluisse aliquem peritum rerum sideralium, & ex ipsius responso, sic auguratum, sed non certò omninò, cum probè sciret, quam fallax sit eiusmodi hominum genus, quæ nq. fallaciæ obnoxia ipsa sideralis cognitio. cum vero Pontifex dixerit fore Alexandrum magnum armorum ducem, Famianus exponens suam coniecturam, perinde accipit dictum Pontificis ac si dixisset, Farnesium fore alterum Alexandrum. verisimile enim non est sic locutum Pontificem, cum plurimi fuerint armorum magni duces, nequaquam tamen exæquandi Alexandro. Fuit năq. in armorum gloria incomparabilis & vnicus Alexander, si Cæsarem excipias, quem tamen Alexandro non præferunt censores rerum militarium, sed permittunt incertum esse, quinam maior in armis fuerit, qua de re duæ pulcherrimæ orationes leguntur apud Iulianum Imperatorem in Cæsaribus, à me translatæ in Etruscum sermonem in opere de rebus gestis Alexandri Magni.

An & quatenus ex nominibus proprijs liceat aliquid præsagire? perpenditur nomen Famiani Stradæ. Cap. XXVI.

INnuit Famianus quando loquitur de Paulo Tertio augurante fore egregium belli ducem Alexandrum Farnesium, innuit, inquam, imò, nisi fallor lubenter concedit posse nos ex nominibus proprijs per coniecturam tamen, non certã scientiam, remota etiam meticulosa superstitione præsagire aliquid de eo, cui tale est impositum nomen. quam sententiam videtur munire consensus Italicorum scriptorum præsertim poëtarum. quam enim lubenter, quando aliquis vel laudandus vel vituperandus est sese recipiunt ad etymologiam, adq. significatum nominum propriorum aut etiam ad notationem nominum, quæ propria familiarum sunt? quod non absurdè fieri possem ostendere multis exemplis in decursu vitæ meæ obseruatis. Norunt profectò amici mei à me valde multa in eam rem subinde proferri, quibus plerumq. euentus ipse respondet. Sed aliqui inepti homines duoob ijciunt. Aiunt nomina fortuitò imponi. à fortuitis autem non putant petendam rationem diuinandi, præsagiendi. Addunt non semper vera promi, & vera præsagiri ab ijs, qui tali in argumento versantur. Quibus obiectionibus sic occurro. falsum est in genere omnia nomina propria aut nomina familiarum fortuitò imponi nam patres non p.. ci diu deliberant apud se de nomine filijs natis imponendo. quæ autem imponuntur à deliberantibus patribus, quis sanæ mentis appellauerit fortuita? Scio aliquos non ita peritos

tos obuium aliquod nomen vtcumque arripere illudq. filio imponere: at non licet, si quis Philosophus sit, sic colligere: hoc nomen impositum est à patre absq. consilio: Ergò fortuitò est impositum fateor si respicias patrem non deliberantem, & imponentem nomen, nomen eiusmodi esse fortuitum sed quod fortuitum est ratione vnius causæ, potest esse non fortuitum si respicias aliam, & quidem superiorem, & occultam causam, cum negare non possimus nobis non pauca venire in mentem, efficereq. vt hoc vel illud faciamus, quæ tamen à nostra cogitatione, nostro consilio, nostra solertia non manarunt. hinc antiquissimus sapiens Homerus non dubitauit pronunciare, talem vnicuiq. esse mentem, qualem quotidie Iupiter indit. Quid igitur vetat credere, patres etiam non deliberantes imponere nomen quod in ipsorum mentem nescio quomodo se induit impellente, & suauiter se insinuante Numinis prouidentia? cum enim Numen prospiciat hunc fore fortunatum, aut calamitosum, efficit, sed miris modis, vt parens ei nomen imponat, cui suo tempore sit responsurus euentus. idem ferè dicendum de nominibus familiarum. nam qui primus incipit emergere ex humili obscuritate faciendo rem, inclarescendo res claras gerendo, vel consilio inito nomini proprio addit aliud quo suum genus, suam stirpem seiungat ab alia, vel assumit nomen pagi vnde est oriundus, aut etiam non impulsus aliqua ratione se potius hoc quã illo modo cognominat. ne dicã à populo quandoq. alicui cognomen vel temere vel ob aliquem euentum imponi. non est autem affirmandum extra Numinis curam eiusmodi impositionem esse collocandam, cum felicitas aut calamitas alicuius familiæ, apud eos qui Epicuro

non litant, à diuina pendeat prouidentia. altera obiectio sic dissipatur. Multi audent præsagire, cum tamen non rectè intelligant rationem nominum. Quid mirum si decipiuntur? Non enim est cuiusuis penetrare sese ad abdita propriorum nominum, cum oporteat peritum esse linguarum, philosophiæ, historiarum, rerum auspicatarum aut ominosarum, eum, qui vult præsagire perpendendo nomina propria, nominaq. familiarum. exemplo rem illustrabo. Quæret aliquis, quid potuisset ex nomine præsagiri de Famiano Strada cum adhuc infans esset? non est adeò facile respondere. Famiani nomen potest duci vel à fama, vel à fame. Ergò licuisset dicere Famianum adepturum nominis gloriam, qua de re non sinit nos dubitare ipse euentus: Fama autem in multis claris viris fuit coniuncta & solet coniungi cum tenuitate rei familiaris, nam rectè Petrarcha.

Pouera e nuda vai filosophia.

Et Petronius: bonæ mentis soror est paupertas *cum igitur Famiani nomen ei videretur portendere famem, mirum non est, si transiuit ad institutum societatis Iesu, in quo ipse nullius rei est dominus, sed tantum ab ijs qui præsunt victum & amictum accipit. At de nomine Stradæ quid promemus? Strada apud Italos viam significat, deauctum à latino stratum siue strata. hinc apud poetam strata viarum, cum sternatur solum & complanetur, vt fiat via prodest autem via iter habentibus, exponiturq. omnibus. pater ergo Strada editis libris, qui sunt iuris publici, viam qua itur ad scientiam, & cognitionem rerum ciuilium, & eloquentiæ ostendit. hinc adeò factum, vt ipse non triuerit tempus in abstrusiori philosophia, quæ paucis patet*

& à paucis tractatur. at cognitio rerum ciuilium, adq. mores facientium popularis est, & ferè omnibus necessaria. Rectè itaq. nomen Stradæ, quod nomen est familiæ, significauit fore vt ipse tali cognitione prodesset alijs. at calcatur via. hoc significat non paucos eum imitaturos, quod difficultate non carebit. ominosum autem aliquatenus dixeris nomen Stradæ, cum teratur, & pedibus prematur. hinc Stradæ studia aliquibus molesta fuerunt, non tam ipsius causa, quam societatis, cuius est pars. quandoquidem enim præpotens est Sodalitium, & potentia eiusmodi aliorum nominibus officere videtur, fit, vt qui non adeò bene affecti sunt erga sociorum rem publicam, quemcumq. ex eodem instituto auersentur. Audio profectò CL. V. Gasparem Scioppium inuectum in Stradam non vt Famianum Stradam, sed vt Iesuitam, cum ipse Societati nescio quibus de causis non admodum sit deditus & addictus.

An gemina proles felicitatem significarit Farnesijs? Cap. XXVII

NArrat Famianus eadem pag. 630. nihil æquè felicitatem *Farnesiæ domus* ostendisse, ac geminam vno partu prolem ingenti Romæ gratulatione exceptam. *Nescio an geminata proles felicitatem ostendat, cum Medicorum è coetu non desint, qui gemellos haud dubitant appellare monstrosum partum, aut saltem putant ipsos habere aliquid monstro simile. Cur ita? quia communis naturæ ratio non fert, vt fœmina gemellam prolem enitatur. id enim fit raro. Certè vix vmquam è gemellis ambo diu supersunt, aut si supersint, contingit alterum ca-*

lami-

lamitosum esse, quod videre est in Remo, quem frater interemit. non negauerim alterutrum fore fortunatum, intereunte vno, vt felix fuit Farne. Alexander, mox vita functo Carolo fratre. sed nec prorsus felix fuit Alexander, quē curæ graues afflixerunt, vt sub finem vitæ viderit fortunam nequaquam votis aspirare, velut aspirauerat olim, Mortuus igitur non senex petitus, calumnijs apud Regem, & non acceptis ad gerendum bellum, itidem per calumniam, sumptibus.

Exercitationis ad Famianæam historiam, finis.

CARMINA
EXERCITATIONI
AD
FAMIANEAM
HISTORIAM
ADDENDA

DVX ALBANVS

IN Belgas ſuaſi bellū, forteſq. phalāges
Deduxi ſollers, ſanguineuſq. ſteti
Aduerſus proceres regalia iuſſa timentes,
Non ſemel infractos Naſſauios pepuli:
Erexi moles, & propugnacula celſa,
Ferret vt Hiſpanum Belgica terra diem.
In patriam poſt hæc preſſis reuocatus ab oris
Indomitum ob faſtum vincla moleſta tuli.
In Luſitanos tandem ſum pergere iuſſus,
Vt frontem ornarent laurea ſerta meam.
Hæc ego. non talem me fama renarrat in orbe,
Exagitans grauiter plurima, pauca probans.

Epitaphium eiuſdem.

HIc iacet Albanus belgarum terror, Iberi
Effigies faſtus, flebileq. exitium.

Aliud.

QValis in hoſtē ierim non Albis, Rhenus, & Iſter,
Non Moſa, nō Tyberis, non ſilet ipſe Tagus.

Lamoralius Egmontius.

AVspicijs pugnans dextris pro Rege Philippo
Victrici rapui Gallica signa manu,
At se sacrilego cum plebs bacchata furore
Pollueret, Diuûm templaq. diriperet,
Accurri impauidus, debellatoq. tumultu
Cœlicolis potui restituisse sacra.
Tantis pro meritis retuli quæ præmia tandem?
Carnificis gladio (proh scelus) interij.

Epitaphium.

BElgarum splendor iacet hîc Egmontius ingens,
Dextera carnificis cui scidit ense caput.

Aliud.

HIc situs est Heros, quo Belgis carior vllus
Non fuit. at perijt victima Carnificis.

Aliud.

DA tumulo flores, iacet hic Egmontius heros;
Quem trux Albanus sustulit immerito.

Sabina Bauara vxor Egmontij.

ME miseram, quæ Boiorum de ſanguine nata,
Quo nil Germanus clarius orbis habet,
Et tot Natorum mirè fecunda genetrix,
Culpæ expers, & nil auſa, potenſq. nihil,
Ingenti afficior pœna, mœroreq. ſummo,
Fuſis quem lacrimis poſtera ſecla legent:
Nam ferus Albanus populo ſpectante, maritum
Carnificis turpi ſuſtulit enſe meum.
Præſidio hinc dulci viduata relinquor, & vſq.
Inuiſam cogor commemorare necem.

Epitaphium.

BOiûm nata domo iacet hîc fœcunda Sabina,
Albani iuſſu quæ viduata viro eſt.

Aliud.

HIC iaceo Egmonti coniux, viduata marito.
Qui legis hoc, lacrymis illacrymare meis.

Aliud.

E Tumulo flores naſcantur: namq. Sabina
Egmontî coniux hîc viduata iacet.

Vilhelmus Nassauius, Princeps Arausionensis:

A teneris annis Caroli nutritus in aula
Cæsarei affectus munera magna tuli.
At non sic Nato placui, qui addictus Iberis
Est visus B lgas posthabuisse suis;
H inc motus animis dubij simulachraq belli,
Obsequium titubans, iraq. Geusiaca.
Mixtus ego turbis versatilis, atq. dolosus
Hispanum potui concutere imperium.
Quin arma arripui, Germanorumq. cohortes
Adducens, miseris vrbibus incubui.
Pugnaui varie non vna clade fugatus,
Attamen euasi callidus exitium.
Audacis tandem Burgundi glande petitus,
Exutus vita & fascibus interij.
Fama autem, quæ nil reticet, vulgata per orbem
Pollutum duplici me nouitate notat.
Nam ferus euerti Regalia iura Philippi,
Et Caluum struxi relligionis opus.

Epitaphium.

VIlhelmus iacet hic proles Germana Batauis
Qui pulso Hispano condidit imperium.

Aliud.

PRincipe Vilhelmo nullus fuit aptior vnquam
Pro lubitu huc illuc flectere corda virum.

Man-

L

Mauritius Nassauius, VVilhelmi filius.

QVis fuerim, & quantus Batauorum ductor in hostem
Pugnarim, mores dum sequor vsq Patris,
Dicere non opus est recitando carmina Vatis,
Ne videar proprijs laudibus esse loquax.
Nam satis atq super lingua me narrat Etrusca
Candida purpurei Bentiuoli historia.
Bentiuolo comes it Romæ Famianus alumnus;
Annales Latio qui sonat ore suos.

Epitaphium.

SAnguine Vilhelmi iacet hic Mauritius ortus:
Eius id ad laudem quis neget esse satis?

Aliud.

NI contra Regem, contraq. Fidem pugnassem,
Laudarer, summis par Ducibusq forem.

Aliud.

NI contra Regemq. fidemq. (nefas) pugnassem,
Vix vllo inferior dicerer esse Duce.

Aliud.

NI defendissem Caluini dogmata pugnans,
Æquarem summos summus & ipse Duces.

DIATRIBA
IN
TACITVM

An historia nostra more Taciti composita sit, vt putat Famianus? Cap. I.

CLARISSIMVS Strada in prolusione historica sic disserit de historia nostrorum temporum, vt de ipsa videatur pessimè sentire, cum (vt ipse putat) qui nostra tempestate historias componunt, Corneliano more velint videri eas texere. non iam quæram, an liceat imitari Tacitum in huiusmodi labore, hoc dico, Famianum sagaciter historicos nostros, nostramq; historiam oppugnare quasi Cornelianam: nec enim dixerim, quod ait Famianus eos, qui superiori nostroq. seculo annales condiderunt, sibi sumpsisse Tacitum imitandum. An imitatorem Taciti dicemus Guicciardinum? nihil minus. profluens enim est Guicciardini oratio, copiosa, & resonans argutiasq. argutasq sententias à se prorsus remouet. Cominæus forte ne quidem vnquam vidit, aut legit Tacitum. magnum certe est inter annales historiamq. Taciti & memorias (sic enim vocauit ipse) Cominæi discrimen. Quid dicam Bembum, qui potius Sallustium & Cæsarem est secutus? Quid Iouium, qui procul abijt à Cornelianis vestigijs. debebat verò Famianus disertis verbis dicere, quinam sint Corneliani historici, quos perniciosos Imperijs & principatibus contendit, vt sciremus à quibus esset abstinendum. sed vide Oratoris solertiam. Ne adolescentes historias nostrorum temporum legant, vt prudentes euadant, & de rebus Hispanorum, Gallorum, Italorum, atq. aliarum nationum iudicium

cium facere sciant, cupit historias à nostris hominibus scriptas non legi. Si voto suo potiatur Famianus, quales quaeso homines habebimus, qui regant ciuitates? prorsus imperitos. nam prudentiam hauriri ex historiarum lectione nemo nescit.

Famianum, dum oppugnat Tacitum, sibi ipsi contradicere videri. Cap. II.

NON *sibi videtur constare Famianus de Tacito quando loquitur. iam enim eum videtur valde commendare, quem postea totũ quãtus quantus est, profligare conterere satagit. audiamus eius verba in prolusione historica. ait ergo:* ingenium Taciti solertiamq. ac reliquas virtutes tanti facio, vt præ ijs existimem paucula, quæ insunt homini vitia, ferri posse. *in Tacito igitur se exerunt, & conspiciendas præbent multæ virtutes, si credimus Famiano, & paucula vitia quæ ferri debent. Ergo inter probatos, & imitatione dignos historicos locum feret Tacitus, non reijciendus inter reijciendos. nam quis est ab omni vitio immunis? nonne optimus ille est, qui minimis vitijs vrgetur? Nonne quisq. suos patimur manes? addit Famianus Tacitum* totum in eo esse, vt prudentiæ præceptis imbuat animos legentium *vides quali flagret desiderio, nempe vt homines beatos si fieri possit reddat. nam prudentia homini felicitatem comparat. quod si forte in quibusdã aberret quãdoq. à scopo Cornelius, id imbecillitati humanæ tribuendum videtur, non prauitati, & malitiæ. nam totus in eo est, vt nos prudentes faciat. quæ verba indicant*

optimo animo præditum fuisse historicum illum teste quidem Famiano. Mox videtur Famianus retractare, & corrigere, repetereq. quæ largitus est. nam ait Tacitum non agere vbiq. ciuem bonum. *largitur interim Famianus plerumq. agere ciuem bonum Tacitum. an quisquam potest agere & ciuem bonum, & malum? Certè qui sæpe agit ciuem bonum non potest quandoq. agere ciuem malum. ciuem bonum commendat probitas, & affectus erga Republicā; malus ciuis prauum habet animum, & obesse cupit ciuitati, imò eam perdere. quæ non possunt in eundem cadere. necesse enim est aut bonum aut malum ciuem esse. nam qui quandoq. obest non prauitate animi sed imbecillitate mentis, & infelicitate consilij non propterea est ciuis malus, cum bene animatus sit erga rempublicam bene animatum erga Rempublicam fassus est Tacitum fuisse, dum dixit* totum in eo esse, vt prudentiæ præceptis imbuat animos legentium. *Cur mox sui immemor subiunxit* non agere vbiq ciuem bonum? *quin pergit Famianus & ei* peruersam interpretationem inter prodigia *recensendam tribuit. vocat ipsum* impiè indoctum. *ait Tacitum* animos legentium suspicionibus nequioribus imbuere, *quin asserit ipsum* suspiciose omnia criminoseq. narrare. *Ergò totus in eo est, vt vafros, fallaces efficiat homines, atq. adeò vbiq. malum ciuem agit. in ijs quæ sequuntur affirmat idem Strada eos, qui Corneliano more exarant historias esse* ciues malos, & historicos non bonos. *sic ciuem malum historicumq non bonum putat fuisse Tacitum, immemor eorum, quæ in principio protulerat. Imò decet meritò appellatum* mendaciorum loquacissimum;

vt

vt cupiat existimare lectores non historicas narrationes, sed mera vel pleraq. fabulamenta à Tacito manasse. antequam tamen hoc diceret fatebatur Tacitum præstare laudibus ingenij, iudicijq. *an iudicij laude præstat, qui figmenta & mendacia pro veris narrationibus animis legentium obtrudit? O Famianum secum pene discordem, & dictorum immemorem. Tantam certe contentionem ad oppugnandum Tacitum attulit, vt concitatus valdeq. commotus vix dubitaret seipsum ferire, modò videretur velle aduersario officere. Cæterum quia ait non esse fidendum callidis historicis, sed artes ipsorum cupit Strada detegi, quid vetat nos dicere, artificio Rhetorico (Rhetorem enim agit in his prolusionibus) voluisse in principio, & quandoq; etiam in progressu dissimulare ingens odium, quo prosequitur Tacitum, vt facilius auditoribus, dum tantum historicum pessum dat, obreperet. Sed frustra est, nam ipsum sagacem egisse Rhetorem, cum declamaret, qui inficetus non est, dum talia legit, animaduertit.*

Ex multis Scriptoribus suas narrationes hausisse Tacitum, eorumq. fidem secutum.
Cap. III.

NE *fides Taciti condentis annales in discrimen detur, & vt sublesta accusetur, repetendum quibus auctoribus sua scripserit, ex quibus fontibus narrationes hauserit. in VI. Ann cap. VII. num. VIII.* Neq. sum ignarus à plerisq. Scriptoribus omissa multorum pericula, & pœnas, dum copia fatiscunt. *vides vsum ipsum*

plurium

plurium ſcriptorum qui tunc abſq. dubio extabant, *teſtimonio. Ann. XII. cap. 67. num.* 1 *hæc habet*: adeoq. cuncta mox pernotuere, vt temporum illorum ſcriptores prodiderint infuſum cibo venenum. *ſi mendacia mendacijs aggerere amaſſet Cornelius*, *annon deprehenſus fuiſſet illico in ſuis figmentis à lectore hiſtoricorum, qui res Claudij aliorumq. tradiderant ? XV. Ann. cap. LIII. inquit*: ſiue vt alij tradiderunt. *mox*: quod *C.* Plinius memorat. *deinceps*: nobis quoquo traditum non occultare in animo fuit. *eodem libro cap. XLV.* tradidere quidam: ~~*cap. LX. eiuſdem libri*: ſolus quippe Natalis & hactenus prompſit~~. *cap. LXI.* tradit Fabius Ruſticus *I. Ann. cap. XXIX.* tradunt pleriq. *quibus addit Ann. III.* ſeniorum *narrationem*. *in principio vitæ Agricolæ memorat Arulenum Ruſticum, & Herennium Senecionem, quorum ille Thraſeæ, hic Heluidij vitam ſcripſerat. in IV. Ann. cap. LIII. num. 4. memorat Annalium ſcriptores.* id ego, *inquit*, à ſcriptoribus annalium traditum. *mox facit mentionem commentariorum Agrippinæ filiæ*, quæ Neronis Principis mater, vitam ſuam, & caſus ſuorum poſteris memorauit. *Non autem temerè ſcribentibus fidem habuit, cum diſcordes forent, qui res Tiberij, Caij, Claudij, Neronis res compoſuerant. ſic enim primo Annal. cap.* 1. *nu.* 1. Tiberij, Caij, & Claudij ac Neronis res florentibus ipſis ob metum falſæ, poſtquam occiderant recentibus odijs compoſitæ ſunt 1. *Annal. citat Plinium* Germanicorum bellorum ſcriptorem. *ex quibus diſcere eſt nequaquam induxiſſe ſibi, vt nonnemo ſuſpicatur non benè, cum ſcriberet res Tiberij.*

berij: nam multi (vtitur plerorumq. vocabulo) Tiberianæ sæuitiæ exempla prodiderant, vt indicarent fuisse Tyrannum, atq. adeò non peccare eum, qui Tyranni consilia in deteriorem non meliorem partem interpretatur. vt enim bonorum Principum res non absq. æquitate exponendæ sunt, ita Tyrannorum facta, vbi ambiguitas adest, ruere videntur in peiorem sententiam. adde Tacitum suo operi Annalium nomen indidisse, quod narratores rerum à Tiberio gestarum idem nomen posuissent.

Sub Rebuspublicis melius consuli historiæ, quam sub Principatu. Cap. IV.

Historicam veritatem vigere sub rebuspublicis, non item sub Principatu indicat Tacitus, dum ait claris scriptoribus memoratas fuisse res populi Romani ante Augustum, aut etiam dictatorem Cæsarem, sub Augusto autem eos qui potuissent scribere, à scribendo deterritos fuisse ob gliscentem adulationem. *vbinamq. viget libertas, adulationi non ita locus est. vicissim, vbi labascit libertas, insurgit adulatio. sub Republica profectò Romana adeò non erat locus adulationi, vt à tribunis plebis quidlibet in quemlibet licet potentissimum ciuem proferri posset. Nec quisquam ignorat, quam acerbæ accusationes instituerentur palam aduersus ipsos consulares, & triumfales viros. Ita Tacitus haud obscure indicat sub rebuspublicis melius consuli historiæ, quam sub Principatu.*

Non magnopere consultum fuisse historiæ sub Augusto. Cap. V.

SCriptores rerum Tiberij, Caij, Claudij, ac Neronis, vt mendaces, & inter se discordes accusat Tacitus primo Annal. non item eos, qui de Augusto egerunt, nec tamen approbat. eius verba sunt: Temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerētur. indicat sub Augusto extitisse viros egregios, qui poterant dicere tempora Augusti, sed abstinuisse à scribendo, quod viderent non esse fas liberè proferre sententiam, & res prout gestæ fuerant, narrare, cum omnes ruerent in seruitium, & palam extollerent, quæ forte reprehendi poterant. Innuit igitur eos qui dixerunt tempora Augusti minus liberè scripsisse, & adulationi nonnihil indulsisse. Nec tamen vt palam mendaces accusat, cum Augustus non fuerit malus Princeps, multaq. in ipso iure merito commendari possent. dices deterritos non fuisse Virgilium, Horatium, narrasseq. (multa de Augusto) quæ vt falsa nequaquam reijcienda sunt. Cur ergò in genere inquit Tacitus decora ingenia quæ floruerint sub Augusto à dicendis illis temporibus deterrita fuisse? an Virgilium, & Horatium è numero decororum ingeniorum excludemus? Respondendum est, Tacitum loqui de historicis non poëtis. Nam poëtæ commendant, & quidem sæpe immodicè, quæ commendanda sunt, non autem exactè rem totam narrant, etiam reprehendendo si quid reprehēdendū sit.

Detritaac fuerint ingenia decora sub Augusto, an deterrita?

Cap. VII.

ALiqui putant eodem recidere sensum, siue legas: donec gliscente adulatione deterrerentur, siue deterentur. parum enim videri referre siue dicas deterrita fuisse à scribenda historia ingenia decora, siue detrita. an eadem mihi sententia? si dicas deterrita fuisse à scribendo, asseres egregios homines abstinuisse à componẽda historia ne Augustum eiusq. aulam ab adulatione occupatam offenderent. si verò asseras detrita fuisse decora ingenia, affirmabis non abstinuisse à scribendo, sed non dedisse historiam qualem oportebat, quæ omni ex parte respondent veritati, & expectationi bonorum virorum. an præferendum: deterrerentur? certè Horatius deterruit ab huiusmodi opere Asinium Pollionem, dixitq. ipsum incedere per ignes suppositos cineri doloso, qui tamen deterritus nõ est: nam euulgauit historiam de bello ciuili, cum eius faciat mentionem Plutarchus in vita Cæsaris, quin eam legit cõuocatis doctis hominibus, vt exploraret ipsorum iudicium constatq. ex Seneca suas. VI. Asinium perduxisse historiam vsq. ad Augustæa tempora. præter Asinium narrauit Messala Augustum, vt colligitur ex Plutarcho in vita Bruti. quid referam magnum Liuium? respondendum

est

est Tacitum loqui de progressu imperij Augustai, non de principio, deq. primis annis. paulatim igitur aucta potentia Augusti egregia ingenia deterrita fuerunt à scribendo. si verò legas: detererentur *dixeris eos, qui cæteroqui potuissent veram historiam dare, aliquatenus à vero deflexisse, & detritos non velificatos fuisse libertati, quæ anima est historiæ.*

Quod Augustus in nullius suorum necem durauerit.

Cap. VIII.

L*Audat Tacitus Augustum primo Annalium quod* in nullius vnquam suorum necem durauerat, *cum tamen Iuliæ valde esset iratus ob impudicitiam, quamq; propterea in insulam Pandetariam eiecerat. Sic Augustum eximit è numero efferorum Principum: nam si periculum immineat, mites, & prudentes Principes suæ consulunt incolumitati absq; eo quod necem inferant. At Tiberius Agrippam sustulit, Germanicum dolo vsus Pisonis interemit. Nero occidit matrem, vxorem. Domitianus Flauium Sabinum alterum patruelem vita spoliauit. Constantinus vxorem Faustam, & Crispum filium. Constantius fratrem, & fratris filium. Sigismundus Bathoreus patruum.*

Quid

Quid dicemus de Philippo Rege Hispaniarum, cuius iudicio interemptus est filius Carolus? putauit Pater seueritate vtendum. At clementer nostra tempestate se gessit Ludouicus XIII. erga Matrē, & Fratrē etsi dicerentur non semel grauia aduersus ipsū moliti fuisse. Mater certè quãuis spōte excessisset regno poterat redire. rediit Frater, & plane humaniter susceptus est. omitti autem non debet scribere Tacitum Iudaos non solere interimere agnatos, idéq. refert de Germanis, quamuis pro agnatis legat Lipsius, audacter sane, natis. imò Nationes illæ putarunt ignoscendum agnatis ne familiæ tollerentur. Hinc etiam Populi consuluerunt dignitati familiarum, dum bona eorum qui obiuissent absq. filijs voluerunt esse agnatorum, vt testatur Plutarchus in vita Solonis, antequam inuenta fuissent testamenta.

Secreta de sceleribus magis premenda à participibus secretorum, quam ab ipso Principe. Cap. VIII.

Q*Vi est particeps Secretorum Principis magis debet dare operam, ne arcana euulgentur, quam ipse Princeps. Cur ita? quia si euulgetur aliquid quod faciat ad dedecus ipsius Principis, aut detrimentum Imperij, & aulæ, potest id totum inuentum reijci in eum, qui est ab intimis consilijs. Tunc verò verendum est ne Princeps consiliarium plectat, vt suæ famæ consulat, licet totum quod susceptum est, atq. peractum, à voluntate ipsiusmet Principis manauerit: id autem verè annotatur ad Tacitum primo annalium, vbi interfecto Posthumo Agrippa iussu*

pa iussu Tiberij, cum Tiberius negasset id à se imperatum, statim Sallustius Crispus particeps secretorum, *metuens ne centurio, qui fecerat quod imperatum fuerat, reus subderetur, monuit Liuiam, ne consilia amicorum vulgarentur. nam reus si subditus fuisset tormentis potuisset dicere codicillos de interimendo Agrippa à Sallustio missos fuisset: tuncq. forte Tiberius in ipsum tamquam auctorem necis inscio Principe, animaduertisset.*

An ratio imperandi vni tantum sit reddenda?

Cap. IX.

Meminerimus *verba illa primo Annalium*: eam conditionem esse imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur, *non esse ipsius Taciti, sed proferri à Sallustio Crispo: errant enimuerò & errant magno cum periculo, qui quicquid apud historicos profertur à seditiosis, à Tyrannis, à vafris aulicis, à scelerum architectis, id perinde depromunt ex historicis, ac si historici ipsi tales sententias sæpe perniciosas condidissent, ex animi sui sententia. absolutæ potestati Tiberij velificabatur Sallustius, & cupiebat omnes Romanos ab vnius nutu pendere. hinc ait eam esse conditionem imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur. quam verò falsum id est, quamq. repugnat rationi. nam vnus homo si pro lubitu iubeat, quam poterit esse exitialis, vt res ipsa clamat. Nonne imperant respublicæ, nonne boni Principes apud Romanos grauia negotia voluerũt expediri in Senatu? Nemo potest ea de re dubitare. difficile profectò est*

decipi

decipi totum senatum, facillimum vnum hominem. at imperare absq. ratione diligenter explorata, est in exitium ruere aliosq. secum trahere. ne igitur deinceps quis dicat Tacitum affirmare eam conditionem esse imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur: *cum sint verba aulici adulantis, & cupientis Romanos, ac si mancipia forent, debere in omnibus parere Tiberio. at ipsemet Tiberius dixerat:* facti rationem reddēdam apud senatum.

Dictaturæ nomen quo sensu acceptum in primo Ann. cap. IX. num. 5. Cap. X.

D*VM apud Tacitum lib. 1. Annal. cap. IX. num. 5 laudant Romani mortuum Augustum dicendo ipsum constituisse Rempublicam* non dictatura, *sed Principis nomine, indicant absq. dubio ipsum noluisse esse dictatorem perpetuum. tacitè enim præferebant Augustum Iulio Cæsari, qui arripuit imperium vocando se Dictatorem perpetuum, vt nomen receptum in Republica vsurparet. Non ergò loquuntur de simplici dictatura, quæ periculosis temporibus Reipublicæ ad sex menses sumebatur. nam si Augustus creatus fuisset Dictator more veteri, non accepisset auctoritatem perpetuam, neq. detriuisset antiquam libertatem. etsi ergò Tacitus non vocet dictaturam perpetuam neq. perpetuæ nomen addat dictaturæ, absq dubio tamen Romani locuti sunt de dictatura perpetua. Hoc si verum est, quæres cur sub Augusto, & reliquis Imperatoribus non amplius fuerit collata dictatura, cum tamen non*

desie-

desierint esse Consules, non Tribuni plebis? respondendum est dictaturam fuisse Magistratum extraordinarium, quod rarò solitum conferri, & nonnisi periclitante Republica, ob timorem ab hoste, vt foret qui praeesset summo cum imperio exercitui populi Romani. Cum autem Caesares perpetuò praeessent exercitibus, & dicerentur regere legiones populi Romani, & quidem summo cum imperio, nullus potuit esse locus dictaturae sub Principibus, siue Caesaribus; nam si dictator creatus fuisset, habuisset imperium in omnes. At Princeps siue Caesar nulli poterat subesse. Sed quaeres adhuc cur antequam Caesar se vocaret dictatorē, Pompeius non fuerit dictator dictus? & cum periculum magnum immineret Reipublicae ob coniurationem Catilinae, cur tunc Romani ad dictaturam non confugerunt? sed dixerunt, viderent Consules ne quid detrimenti Respublica pateretur? respondendum est ob recentem memoriam Syllanae dictaturae noluisse conferre talem potestatem. Pompeius verò solus dictus est consul, non dictator, quod consul debeat reddere rationem gestorum, dictator verò nequaquam.

De differentia inter Principatum, dictaturam, & regnum. Cap. XI.

D*Iscere est ex Tacito minus recedere nomen Principatus à libertate, quam abeat aut regnum, aut dictatura perpetua, nam Romani laudantes bona Augusti inter alia in primo Annal. cap. IX. n. 5. aiebāt.* Non regno tamen aut dictatura, sed Principis nomine constitu-

tam Rempublicam. *non autem facile est explicare differentiam inter regnum, dictaturam perpetuam, & Principatum. Ego conabor explanare. Principis nomen in vsu erat etiam vigente libertate, cum primus inter Senatores Princeps Senatus diceretur. in Ciuitatibus etiam liberis præcipuæ auctoritates viri, & in dignitate constituti dicebãtur Principes inter Reges autem multi sunt absoluti, & supra omnes leges collocati. adde regnum non semper habere Senatores, nomenq; regium expulsis regibus à Romanis prorsus sublatum. dictatura quoq; perpetua, qualem arripuit Sylla (licet eam deposuerit) & post Syllam Cæsar plane aduersari videbatur libertati, cum fundamentum libertatis apud Romanos non admitteret perpetuos Magistratus, & dictaturæ ad semestre spacium sumerentur. hinc intelligimus quantopere errent illi, qui vt adulentur Principibus hac tempestate, aiunt Principem præditum esse absoluta potestate, & ei quidlibet in quemlibet licere. eiusmodi potestatem ipsi barbaro & sensu, & sermone plenitudinem potestatis appellant. At qui primus se Principẽ vocauit Augustus modesto nomine voluit à se barbariem repellere. nam reges absolutos barbaries olim aluit, aut Tyrannis inuexit, vt Aristoteles in politicis tradit.*

An

An quandoq. impeditiora itinera præferenda breuibus in gerendo bello? Cap. XII.

IN *primo Annalium cap. L. consultat Germanicus, cum inuadendus foret hostis* ex duobus itineribus breue & solitum sequatur; an impeditius, & intentatum? *Mira possit alicui videri eiusmodi consultatio. nam in hostico si quis per impedita itinera incedat, facile est aberrare, & implicari falsæ viæ adde multum temporis impendi, cum tamen in gerendo bello sit consulendum celeritati. Respondendum est in gerendo bello excogitari debere, quæ hosti in mentem non facilè veniant, vt incautus opprimatur, incogitans obruatur. prætulit igitur Germanicus* impeditius, & intentatum iter, *quia* hostibus incautum, *hoc est non poterat facilè caueri ab hostibus; & omisit* breue, & solitum, *quod propterea notum hostibus. impeditius autem etsi esset, non tamen aberraturi erant Romani, quia aderant absq; dubio locorum gnari, & duces itineris. ne verò* longior via *multum temporis absumeret, accelerarunt iter, vt hosti incogitanti superuenirent. Talis bellandi ratio multum gloriæ parauit Iohanni Vertio qui adhuc superest, copijsq; Bauaricis præest. impeditiora enim itinera, & intentata nocturno tempore sæpe ingressus est, cum paucis equitibus, sicq; hostibus superuenit, vt putarent adesse iustum exercitum, hinc terror, hinc fuga, hincq; Vertio parta victoria absq; euaginato gladio. Solus enim clamor tali tempore, & emissi aliquot sclopeti hostem terga vertere coëgerunt.*

APPENDIX EXERCITATIONIS AD FAMIANEAM HISTORIAM

De eodem argumento Etruscum Carmen.

PEr far chiari immortal col dir sourano
Gl'intrepidi Campiõ, che già mostraro
Il militar valor inuitto raro
Nel terren basso Belgico Germano,
Ben di dieci Scrittor l'industre mano
Vergato hà i fogli con lo stil preclaro,
E segregato il mel dal crudo amaro
Sudando per lo Batauo e l'Hispano.
Trà tanti saggi à chi si porge il vanto?
Chi soura gli altri quasi vgual à Gioue
Lieto si copre del Palladio amanto?
A niun per me quì controuersia moue
Giudice Febo, anzi li prezza tanto
Che soura i libri lor l'ambrosia pioue.

In laudem eorum, qui de Bello Belgico scripserunt,

Versus hexametri

ERepti vt tenebris viuant in secula missi
Magnanimi Heroes, qui tot labentibus annis
Belgarum in patria gesserunt horrida bella,
Lucida in hostiles vibrantes tela cateruas:
Tot prȩclari homines potuerunt condere chartas,
Historicamq; facem memorandis indere factis.
Hos inter cui palma datur? cui porrigit herbam
Victori aonidum chorus, & generosa Minerua?
Nulli ego præ reliquis ausim concedere punctum,
Iudicioq; leui pretium posuisse papiris.
Ergo cedrus blattas iubeat procul ire voraces,
Eximium excipiat Stradam, magnumq; Tuanum,
Bentiuoliq; decus nullo delebile seclo
Ambiat, egregij asseruet dictata Meursi,
Exactoq; aliorum operi superesse det vsq;

Non

Non debere quemquam mirari à me exercitationem ad Famianæam historiam compositam. Cap. I.

MAGNA, ita me Deus amet, est eorum hominum infelicitas, qui ignari eorum, quæ gesta sunt, & adhuc geruntur in Republica literaria, turbantur, percelluntur, tantum non de mente dimouentur, quando audiunt, à me aliquid exarari ad historiam Belgicam Clarissimi Patris Famiani Stradæ. an enim propterea ipse desinet placere, & honorificum, qui ei profectò debetur, locum inter historicos obtinere, aut ego deinceps expungar ex albo eorum qui rei litterariæ non pro sus infeliciter dant operam? absit metus, recedat superstitio, regnet libertas cũ alio dissentiendi, vigeat mos, qui permittit bonis ciuibus diuersam habere de Republica sententiam. an hodie Cæsar ridiculus est, quia duos libros in Catonem exarauit? aut Cato non placet oppugnatus à Cæsare? Neutrum dixeris. æterna stigmata Catullus comminatus est se inusturum eidem Cæsari, & verò in eam rem epigramma hodie superest. an ideò infamiæ non delendæ hac ætate obnoxius dictator Iulius? aut Catullus inter maledicos, liuore laborantes poetastros stabulatur? imò suum cuiq. decus tribuit nostra tempestate honos. num contemnimus, nec legimus Tullium reprehensum ab Asinio Pollione, aut Pollionem existimamus maledicentiæ & inuidiæ litasse. indignumq. esse quem magnis nominibus accenseamus? sic no-

bis

bis arridet Cicero, vt Asinium non reijciamus. quantam ingenij contentionem ad oppugnandum præceptorem Platonem Aristoteles attulit. an ideò aut Plato exploditur, aut eius discipulus vapulat? Floret vtriusq. fama numquã abolenda. acerrimè se inuicem oppugnarunt olim Hieronymus Stridonensis, & Ruffinus Aquileiensis. etsi autem infra Hieronymum collocarit consensus eruditorum hominum Ruffinum, non tamen eius in rem Sacram & literariam ignorantur merita, cum legantur aliquot translationes Ruffinianæ non omnis expertes laudis. altercati quoq. sunt de nonnullis quæstionibus idem Hieronymus & Augustinus, ambo hodie in apice & fastigio sũmæ æstimationis conspiciendi. Quid in censum hunc traham Chrysostomũ, & Epiphaniũ cũ viuerent diffidentes studijs, hodie maximi factos ab ijs, quos magnifacit veritas & Catholicorum coetus? de diffidio summorum Iurisconsultorum exorto ab inclyto Labeone & per ætates subsecutas porrecto sermo non paruus inter doctos homines, qui historiam Iurisprudentiæ non ignorant, semper fuit, non propterea contempto Sabino, aut floccifacto Cassio. Num quia minus honorificè de Plautinis comoedijs sensit Horatius, hic reijcitur, illæ exsufflantur? stat sua cuiq. sedes, splendet dies gloriæ non obscurus. Sed propius ad nostra tempora accedamus. quam acerbus in multos præclaros scriptores extitit Valla. non ideò viles apud nos sunt. nec ipse vt ineruditus minus arridet. Liber in alienis reijciendis fuit Angelus Politianus, quem tamen quis ineptiarum accuset? Quantam attulit libertatem ad examinandos alienos fœtus Iulius Cæsar Scaliger in hypercritico. Non ea de causa deie-

ctos

Nos asserueris de fastigio famæ egregios poetas, quos Critica Scaligeri exagitauit, ipseq. vt insignis homo suspicitur. Quid non idem molitus est vt Homerum contereret. Viget nihilominus antiquissimus sapiens Homerus, omnibus facilè præferendus; superestq. honorifica inter Senatores litteratos Scaligeri memoria. non sileo eiusdem de subtilitate exercitationes præclarissimas, quæ non propterea gloriam Cardaniano nomini erspuerunt. Iacobus Salianus per longum annalium veteris testamenti decursum, omnem mouit lapidem, vt tota auctoritate spoliaret Iosephum historicum, quem qui post eiusmodi censuram Saliani non lubenter legeret, non summopere commendaret anticyras foret mittendus, relicto nihilominus loco non imi subsellij oppugnatori Saliano. clamant prolusiones, multa in alijs scriptoribus, poetis, historicis, magnis viris desiderari à Famiano, qui vt moderatione animi non caret, patitur nos versari in lectione talium auctorum, nec fremit si videat in Tacitum, in quo conterendo totus est, prodire commentarios, vt certè aliquot post Tacitum ab ipso inuasum exierunt. nos verò non desinimus perquã honorificè de libro prolusionum sentire. Lipsius Bembum visus est spernere, de Guicciardino mediocriter sentire. quo successu? floret fama Bembi, immortalem in modum laudatur Guicciardinus. de doctrina temporum duo volumina cur euulgauit Dionysius Petauius? vt Scaligeri Iunioris de emendatione opus euerteret è memoria hominum exterminaret. non propterea emendatio temporum Scaligeriana ignorabitur, aut Petauius silentio inuoluetur. Roberti Titij loci controuersi Criticos non prætereũt. at simul superest IVo Villiomarus,

qui locis illis magnum scribendo facessiuit negotium. Itane iubes in aliorum exemplorum lucem campumq. Mnemosyne? regerit ipsa: obe satis est memoriarum ex annalibus reipublicæ litterariæ. ponant ergò doctissimi Patres supercilium, explicent frontem pulsis rugis, ne tumeant bile, dum ego, qui me lubenter longe infra culmen Famianæum consistere & hærere fateor, calamum appello ad iucundissimam elegantiam historiæ, quam pater ille fauente Lucina, obstetricem agente Fama in luminis aurat misit: non enim id ago, vt non æstimetur opus, absit procul à me eiusmodi propositum, sed arripio occasionem de nonnullis ad felicem statum populorum facientibus, differendi.

An & quatenus fortuitò sit intercepta Brila? Cap. II.

F*Ortuitone Geusij Aquatiles interceperunt Brilam aut consultò, & ex animi sententia præeunte? si dicas fortuitò, quis credat fortuitò extitisse Rempublicam adeò potentem? nam initium defectionis à Rege, & Reipublicæ Hollandicæ iactorũ fundamentorum quis non retulerit ad interceptã Brilam? si asseras cõsultò, repugnabit Famianus pag.* 502. dum Cantabricam inuadunt nauim atq; diripiunt cunuersa ventorum vi in Vornam Hollandię insulam deferuntur. Brilam insperabili successu capiunt. *respondere forte licet fortuitò delatos Geusios in Vornam, moxq. consilium iniuisse de capienda Brila, & statim præter spem voto potitos. Numquam autem cogitassent Brilam intercipere, nisi ab aduersis ventis eam in insulam*

fuis-

fuissent deuecti. Deuectionem autem fortuitam prorsus vocauerit schola perspateticorum, cum præter cogitationem, imò contra voluntatem se senserint nautæ prædones illuc delatos. At credibile non est fortuitum prorsus fuisse, quod Reipublicæ adeò potenti initium dedit. An enim regna, imperia, Respublicæ forte fortuna & per accidens (vt loquuntur scholæ) existunt? id asserere esset se induere in contemptum prouidentiæ Epicureum. Colligimus igitur non absolutè & omni ex parte censendum fortuitum, quod nobis incogitantibus, aut etiam nolentibus euenit, cum prouidentia ad magnas molitiones non semper nostro consilio, nostraq. cogitatione, & voluntate vtatur: quod probare est, cum incredibile sit interceptam Brilam, quæ fuit causa tantarum rerum, absolutè fortuitam à cæca forte, à causa non causa, à nihilo, vt loquitur Aphrodisæus profectam.

Quatenus Germani dicant conspicilia esse frænum nasi. Cap. III.

Qværat meritò quis, cur apud Germanos idem sit ocularia vitra naso imponere, & frænũ ori injicere, quod refert Famianus pag. 504. nam frænum coërcet os, & remoratur, si opus sit sisti equum, aut retrahi à cursu. At conspicilia prosunt oculis, quorum aciem imminutam intendunt, adq. videndum porrigunt. Cur ergò eiusmodi conspicilia nasi frænum dixeris? frænoq. quod ori injicitur exæquaueris? puto dicendum, etsi ocularia vitra oculis prosint, impedimentum esse nasi, vt cuius pates

vt non inficetè existimet à Germanis ocularia vitra fræno æquari. Aut fortè illud brillen machinas dixeris, quæ imponuntur oculis equorum ferocium & indomitorum, vt non videant, atq; adeò regi à ductore queant, destituti vsu oculorum ob oculis superpositas rotundas machinas siue orbes. Probabile autem alicui videatur prouerbium Germanorum nequaquam compositum fuisse de conspicilijs, quæ antiqua non sunt, veteribus certè ignota, sed de rotundis machinis, quæ imponuntur ferocium equorum oculis, cum præsertim nomen brillen videatur esse admodum vetustum, & inuentum antequam conspicilia reperirentur: cum etiam videatur eiusmodi vocabulum factum ex Italico brigia, quo significatur frænum. vt enim frænum coërcet os equi, ita machina rotunda oculũ. cui tamen expositioni obijcitur Germanos solere dicere die brillen auf die nasen stecken. conspicilia naso imponere. At rotundæ machinæ, quibus equi coërcentur nequaquam naribus, sed tantum oculis, qui non cohærent naso equorum, imponantur.

De Albano contemptore inanium perpenditur iudicium Famiani. Cap. VI.

L*ib. VII. ad annum MDLXXII. pag. 504. Albanum* vt inanium contemptorem *tacitè commendat Pater Famianus. At apud Tacitum* inania *quoq. in Corbulone memorantur. Duplex autem inanium genus, vnum quidem quod reperitur in ijs, qui solida virtute, verisq;*

bonis

bonis animi corporisq destituti, umbraticis nituntur, sibiq. ipsis imponunt, & frustra obrepunt. Alia inania sunt non prorsus inania, sic dicta quod collata cum præcipuis principibusq. bonis tenuia sint, & videantur, at non prorsus spernenda, non omnino vana, cum conducibilia sint ad felicem rerum successum, & optatum bellorum euentum. primum genus respicitur à Tacito, non item alterum. ad quod nam referes conspicilia Albano imposita in pictura ad eius irrisionem tendente apud Batauos, siue Aquatiles Geusios? Hæreo. ad primum referes cum Famiano cum non obscurè laudetur Albanus eiusmodi picturam insuper habente. & par erat à Veterano Duce præferri talium contemptum, ne suis animum adimeret, metum incuteret. Apud se autem pictura illa ad secundum genus inaniũ forte retulit homo sagax, cum animaduerteret sui terrorem paulatim euanescere apud nautas nouitatis amantes, intercepto opportunissimo portu. Quis enim neget talem picturam aliquid contulisse ad trahendos alios in partes aduersus Hispanos, cum nossent cur in audaciam taliaq. figmenta induti fuissent Lumæius, sociiq. quibus recitatis erit, qui cupiat sibi ex Tacito depromi inanium duplex genus iam memoratum. primum deprehenditur ni fallor in iis verbis, quando falsa & inania coniungens pro iisdẽ accipit Annal. lib. XVI. cap. VII. num. 8 tamquam præficeret rationibus & libellis, & epistolis libertos inania simul & falsa *Quid enim prodesset ei, qui auctoritate destitutus libertos admoueret muneribus? est alius locus apud historicum Annal. lib. IV c. XLI. n 4* & minui sibi inuidiã adẽpta salutãtiũ turba sublatisq; inanibus vera potẽtia augere?

Nil

Nil enimuerò prodest à multis salutari eum, qui à vera potentia repellitur. de altero genere inanium sunt praeclara verba Annal. XIII. Corbulo omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam, sapientiamq. etiam specie inanium validus.

Quatenus Alexander Farnesius, summus belli Dux, possit alter Alexander vocari.

Cap. V.

NON repugnabo ei, qui poeticè scribens Alexandrum Romanum appellauerit Alexandrum Farnesium, aut dicam scribam Famiano dedicanti suam historiam Serenissimo Odoardo Parmae & Placentiae Duci, si eum cum Alexandro Magno Macedone comparet, nec enim cuiquam mortalium concesserim in extollendo immortalis memoriae Principe, Italicae nationis aeterno ornamento, at si historicè, & iuxta historicam frugalitatem sit loquendum, fatebor me ignorare, an Alexander Farnesius extiterit alter Alexander Magnus quanta enim est copia & amplitudo rerum ab Alexandro Magno gestarum, de quibus iusta volumina fuerunt composita à pluribus magni nominis viris. hinc Heros ille cognomentum Magni à consensu seculorum est adeptus, quod nescio an vlli mortalium contigerit, nam post seculorum diuturnum decursum & trecentorum annorum spatium post Alexandrum Magnum, ita cognominatum sed a Romanis nouimus Pompeium. At omnes nationes in magnitudinem Alexandream consenserunt. Quam latè

latè verò longeq. circumtulit; & promouit victricia arma Macedo, mox profligato bello aduersus Persas, domita India, adito Oceano, composita pace, acceptis vndiq. populorum lagationibus imperiũ Orbis gratulantibus. Alexander Farnesius partem inferioris Germaniæ reluctantem Regi non potuit pacatam reddere. bis in Galliam profectus tulit duabus vrbibus obsessis suppetias. Mortuus tãdem gloriæ quidem plenus, non tamen voto suo, quod erat, Gallicum, Belgicum bellum perfligare, potitus. viderit igitur accuratissimus pater quatenus cum Macedone sit conferendus Farnesius Alexander, ne immodica laus limites historiæ transiliat.

An Mauritius Nassauius obierit mœrore ex Bredæ obsidione contracto? Cap. VI.

EXstinctum *Mauritium Vilhelmi filium mœrore ex* Bredæ obsidione *lego apud Famianum in indice. Qua de re vt iudicium rectè suscipi queat, neminem ignorare oportet nouisse ducem illum Hollandorum euentus belli dubios esse, Marteмq. modò huic, modò illi fauere, didicerat id legendo Historicos, & aliorum res gestas sibi ob oculos ponendo. quin proprio experimento assecutus fuerat quanta sit rerum militarium vicissitudo, cum aduersis nõ semel luctatus, conatus quandoq. suppetias ferre obsessis oppidis, sed inani conatu. Annon Archidux Albertus feliciter & fortiter admouens castra Hulsto eo est potitus Mauritio frustra pro obsessis laborante? Quid memorem Rhenobergam obsidione cinctam ab Ambrosio Spinola duce belli*

pruden-

prudentissimo? omnem mouit lapidem Mauritius vt coge-re discedere obsessores. nequicquam, Spinulæ dedita Rhenoberga. eidem Spinulæ coactus est videre redditum Iuliacum frustra tracta mora apud Rhenum, vt obsidio solueretur. nec Grolla potuit ab ipso eripi. Tales successus mirum æquo animo latos à Mauritio, non latam Bredæ obsidionem. Mirum etiam Henricum Federicum post fratris obitum frustra cum tentasset auxiliari Bredæ non dolore confectum obiisse. an præ Henrico pusillanimus Mauritius? quibus addideris longè maiorem causam dolendi habere ducem, qui amittit exercitum infeliciter aut etiam imprudenter pugnans, vel forte profligato exercitu capitur ab hoste, quam qui non fert suppetias vrbi obsessæ, cum præsertim supersint tot aliæ admodum munitæ, neq; expugnatio eius quæ obsidetur, salutem & incolumitatem Reipublicæ euertat. Quis autem nescit & olim & hac tempestate non pauces ductores militarium copiarum victos fugisse, aliquos etiam captos abductosq; absq; eo, quod dolori sint immortui? non mortuus est Darius mærens fugatus ab Alexandro, sed à suis occisus. superuixit cladi, quã accepit à Scipione maiore Annibal. Quid referam Philippum Perseumq; reges Macedoniæ victos à Romanis? Quid Siphacẽ, Iugurtam, Antigonum, & Mithridatem? Pompeium victum à Cæsare, Brutum coactum tandem cedere Augusto & Antonio? Otho superatus à Vitellio non dolori indulsit, sed seipsum peremit quod dicendum quoq; de Catone Vticensi. recensere est Vitigem Gothorum, Gelimerem Vandalorum, reges à Belisario captiuos Constantinopolim ductos, non dolore confectos. an Rex Daniæ fugatus à Til-

lio

lio obijt? adhuc superest. Hornius, Vertius, Lamboius, aliquam diu fuerunt in carcere tandem liberati. eam conditionem sustinent hodie apud Serenissimum Potentissimũ Bauariæ Ducem Rosa & Smitbergius. an mæror assumpsit Firnamondium aut Cerbellonium profligatos in Valletellina à Rhætis Duce Rohanæo? Nequaquam. Hæc & eius generis alia velim perpendi, vt intelligamus an verisimile sit ex Bredæ obsidione contracto mærore mortuum esse Mauritium. quibus forte aliquis non contentus accedere iubebit euentus belli Germanici, Gallici, Subalpini, Hispanici, cui nondum, proh dolor, videmus impositum finem. Leganes hodie superest, etsi Harcurtio non potuerit Augustam Taurinorum eripere. Quid non tentauit Augusta domus Austriaca, cum Serenissimo Duce Bauariæ, vt liberaret Brisacum? Nil profuerant tot sumptus. Vita tamen adhuc fruuntur tam Ferdinandus Tertius Imperator, quam Maximilianus Elector & Dux. viuit Iohannes Georgius Saxoniæ Dux & Elector, etsi Lipsiam sibi adeò gratam viderit occupatam à Torstensonio Theonisuilla concessit in ius Gallorum, licet non sint mortui, qui eam assertam cupiebant. vitali vescitur aura Rex Daniæ, qui tamen est passus expugnari Volfemputtelium à Pappenhemio. an mæror absumpsit Vinariensem Ducem Bernardum, quod Ratisbonæ obsidionem soluere nequisset? imò se reseruauit & pugnæ Nortilingicæ, qua superatus est. & alijs successibus. An tam abiecti animi fuit Mauritius, vt desperans de auxilio ferendo Bredæ abiuerit ad plures? viderint prudentes rerum æstimatores.

ALTERA
DIATRIBA
IN
TACITVM
AVTHORE
PAGANINO
GAVDENTIO.

Cur Iudæi putarent fas non esse in speciem hominum effingere Deum? Cap. I.

DE *Iudæis in V. Hist. cap. V. n. 8. quando agit Tacitus ait eos existimare esse profanos, qui Deûm imagines mortalibus materijs in speciem hominum effingunt. Cur ita? quia* summum illud & æternum neq. mutabile neq. interiturum. *hoc effatum potissimum Ægyptijs opponebant, non quod Ægyptij putarent (quod sciam) Numina & deos mori, sed quod existimarent Iudæi Deum videri obnoxium mortali conditioni, & interitui, si dicatur habere formam humanam, cum videamus omnibus hominibus tandem mortem obrepere. aiebant igitur Iudæi materiæ expertem, non visui expositum, non corporea mole præditum Deum, cum sit æternus mutationis & interitus expers. inter Græcos tamen Plato, Aristoteles materiam procul removebant à Deo, corpoream q. molem, quin ipsum mundum à Deo quamuis factum docebat Plato numquam interiturum. Aristoteles & ipse mundum agnoscens corporeum carere initio, & cariturum fine contendebat. Stoici autem mundum aiebant esse deum ipsum, & quandoq. conflagraturum, soluendūq. in ignem. Etsi autem Gentiles in varias de Deo, de mundo scinderentur opiniones, in simulacris tamen conficiendis colendis consentiebant, quem quidem morem detestabantur Iudæi, vt tradit Tacitus.*

An olim peregrini petierint Germaniam, vt eam incolerent? Cap. II.

SIC *loquitur Tacitus de Mor. Germ. cap.* 11. *num.* 2. Quis Italia relicta Germaniam peteret? *Annon petierunt Romani inuectis etiam colonijs, perpetuisq. sedibus ibi constitutis? annon Galli sub Carolo Magno Fräci dicti se Saxoniæ infuderunt? fatetur ipse Isidis sacrum peregrinum illatum aliunde. quid referam Rhætum Tuscosq. relicta insubria Alpibus se ingerentes, sedesq. in Rhætia sic à Rhæto dicta collocantes? Quid quod Vlysses per Rhenum Asciburgium vsq. perrexisse, & arcem condidisse dicitur. Respondere est Tacitum loqui de primis incolis Germanici soli, qui non videntur aliunde venisse. cum verisimile non sit eos, qui feliciorem terram Asiæ, Africæ, Italiæ incolerent se voluisse conferre ad asperitatem Septentrionalium regionum. Romani, Galli non sua sponte Germaniam petierunt, sed sequentes hostem, ne ab ipso deinceps vexarentur, prouocarentur. Rhætus cum Tuscis, fuit pulsus à Gallis ex Insubria. Ne ergò parerent hostibus aut ab ipsis occiderentur volens nolens Alpestrem terram elegit sumpsitq incolendam, in qua absq. dubio iam erant incolæ veteres. de Vlysse quod narratur aut fabula est, aut vnius hominis factum nam facit ad transmigrationem totius alicuius populi. ad sacrum Isidis quod attinet, res non caret difficultate, cum præsertim dicat Tacitus cultos à Germanis antiquis Mercurium*

Martem, Herculem, quorum nomina ſacraq. videntur aliunde aduecta. reſponderim Mercurium & Martem, cũ ſint ex ſeptem planetis cultos videri ab antiquiſſimis temporibus, cum nationes lubenter venerarentur eiuſmodi ſtellas. dices nomen Mercurij & Martis eſſe latina, atq. adeò videri eorum ſacrum aliunde nempe ex Italia acceptum. reſpondeo, putare me à Germanis non vocatos ita, ſed latinè eorum nomina à Tacito ſcribente latinè prolata. Herculis autem & Iſidis ſacra importata non oſtendunt immigraſſe integram nationem, vt adhuc vacuam incolis incoleret terram.

Vnde ciuilitas, cultus & frequentia Germaniæ? Cap. III.

S*I nullæ vrbes Germanis olim cum ſcriberet Tacitus, vt eſt in libello de Mor. Germ. cap. XVI. num. 1. ſi terra in vniuerſum* aut ſyluis horrida, aut paludibus fœda, *vnde cultura, ciuilitas, vrbium frequentia, mœnia, turres, propugnacula, thermæ, ſiue balnea, templa magnifica? puto elegantiam & ciuilitatem illatam ampliſſimæ regioni à Romanis primum, qui Rhenum, Danubiumq. prætergreſſi penetrârunt ſe ad interiorem Germaniã, quis dubitet cum armis illata inſtituta, mores ſaltem vbi coloniæ conſtitutæ? Religio deinceps Chriſtiana efferam conſuetudinem, & barbariem depulit, ferociamq. domuit, conditis longè latèq. cœnobijs, ad qua dum vndiq. pietatis cauſa concurritur, paulatim loca ſacra abiuerunt in frequentiam vrbium, oppidorum.*

Carolo

Carolo quoq. Magno Francisq. in Gallia excultis & mansuefactis multũ debet Germania, Saxonia præsertim, quæ subacta armis, amplexaq. sanctitatem nostræ religionis diligentius excoluit artes, quibus ad humaniorem ciuilioremq. vitam informamur. Otho Magnus tandem, & imperatores cognomines, Henrici, Friderici, & reliqui Italiæ dominati diuitias & cultum domum retulerunt: nam non paucas Germaniæ vrbes non admodum antiquas esse germanicarum rerum periti fatentur.

Cur Germania hodie non ita sit syluestris & palustris vt olim? Cap. IV.

An fides habenda Tacito narranti terram Germaniæ olim in vniuersum fuisse aut syluis horridam, aut paludibus fœdam? *res ipsa videtur historicum arguere & confutare. neq. enim hodie adeo multæ syluæ visuntur, aut tot paludes, cum præsertim aër ferè sit saluber. esset autem noxius, si paludibus frequentibus obnoxia foret patria Germanorum. Respondeo, hodieq. visi in Germania multas syluas, non paucas paludes. puto autem minus syluestrem, minusq. palustrem esse terram illam. Cur ita? olim culturam agrorum vt rem contemnendam viro forti spernebant Germani, vt docet nos Tacitus at depulsa paulatim barbarie agri cœperunt diligenter coli, vt res ipsa clamat. Quis autem dubitet hac occasione syluas cæsas cœpisse deinceps esse solum aptum suscipiendo semini, inuersum aratro? vt enim agros diu non cultos cernimus indui in syluas, ita agricolæ quandoq. solum*

sylue-

ſyluestre aratro obnoxium reddunt. non abſimilem ob cauſam aſſeruerim exiccatas paludes, vt præberent locum arboribus domeſticis, herbis & plantis, aut paſcua exhiberent armentis, ne dicam de conſtructione ædificiorum. Sic intelligimus, cur hodie Germania minus ſylueſtris, minus ſit paluſtris.

De proprietate verbi *litare* à Tacito neglecta. Cap. V.

T*Acitus de Mor. Ger. cap. IX. num. 1. ſic fatur* Mercurio humanis quoq. hoſtijs litare ſas habent. *litare verbum proprium eſt Romanorum, qui vicini etruſcis mox didicerunt, & in ſuam vrbem receperunt diſciplinam, quæ explorat, an feliciter, & dijs fauentibus, propitijſq. ſacrificatum ſit, Aruſpicinam dictam. Non Græci, non Syri, non Perſæ, non aliæ nationes, quod ſciam, habuerunt morem deprehendendi Numinis voluntatem propenſam facto ſacrificio. At Romani præeuntibus doctoribus Tuſcis cæſas victimas inſpiciebant, vt ex fibris coniecturam facerent de euentu eorum, ob quæ ſacrificatum fuerat. Vbi ergò obſeruabant bene habere exta, colligebant ſe litâſſe. quem ſignificatum non neglexit Perſius, dum dixit:* hæc cedo vt admoueam templis, & farre litabo. *aliquando tamen ſcriptores verbum litare ſimpliciter acceperunt pro ſacrificare, neglecta proprietate illa petita ex Aruſpicum inſtituto. Tacitus eam inſuper habuit, quando inquit Germanos litare Mercurio humanis hoſtijs, hoc eſt mactare homines deo Mercurio. forte neglexit eiuſmo-*

di propietatem, quod Germani cæteroqui auspiciorum diligentes obseruatores, aruspicina essent imperiti.

De vsu victimarum humanarum apud quosdam populos priscis temporibus. Qua ratione fuerit sublatus? Cap. VI.

V*Erba Taciti de Germanis:* Mercurio humanis quoq. hostijs litare fas habent *ostendunt rarò admodum à Germanis cæsas victimas humanas, cum de solo Mercurio dicat eum consueuisse placari hominibus quoq. cæsis. ex quibus discimus nulli alij numini apud Germanos homines mactatos, at Mercurio præter victimas alias, mactatas quandoq. humanas. Quamuis enim essent barbari, efferi Germani, intelligebant tamen longè pretiosiores esse victimas humanas alijs, nempe cæterorum animantum, cum putarent rarò debere tolli è medio eos, qui secum eiusdem essent generis. Cum verò magna videatur esse controuersia inter indagatores antiquissimæ primæq. vetustatis, dum quæritur, num ab initio apudq. primos mortales sacrificaretur frugibus, & sacrificia essent incruenta, an cæderentur victimæ, mactarenturq. animalia, pugnante Porphyrio in libro de absti. ab animalibus pro incruentis sacrificijs. videmur ex Tacito posse colligere saltem apud Germanos antiquitus fuisse in vsu victimas, non verò sacrificia ex frugibus, atq. adeò sacrificia incruenta esse recentiora cruentis. nam ait Martem & Herculem concessis animalibus placari, de Mercurio dixerat eũ coli humanis quoq. hostijs. vides frugibus nullum locum fuisse in sacrificando.*

Sed

Sed de vsu, & atiquitate humanarum victi marũ quãdo disputatio instituitur, ignorandum non est videri apud nationes passim olim viguisse morem mactandi homines dijs. quà de re dubitare nos non sinit idem Porphyrius in luculento commentario de abstinentia ab animalibus. An autem quod apud multas nationes, & longè lateq. fieret in sacris, censendum sit prorsus esse inhumanum, & barbarum & abhorrens à ratione viderint philosophi, viderint etiam iurisconsulti, quos etiam scitari par fuerit: an sacrificia ex victimis humanis fuerint olim iuris gentium? et si iuris gentium num eorum possit reperiri initium? & num constituta à diuina prouidentia? & num quæ aliquando fuerunt iuris gentium, possint progressu temporis reijci, vt inhumana & à ratione valde abhorrentia? Syri profectò & populi Palestinæ olim lubenter victimis humanis vtebantur quod veteris testamenti libri sacri nos docent. Quod si putasset Abraham prorsus esse absurdum & inhumanum cadere Deo hominem, an credidisset sibi à Numine impositum onus sacrificandi filium? Cur etiam Iephte mactauit filiam, si sciebat illicitam prorsus esse victimam humanam? Quæ quamuis sic prolata sint, nouimus tamen ex veteri testamento, quantopere victimas humanas damnauerit Deus, scimus etiam à Lucretio vt rem impiam reiectum factum Agamemnonis, qui occidit Iphigeniam. Rex quoq. Persarum aliquando iussit Carthaginenses ab eiusmodi more abstinere, nisi vellent sib inferri bellum. at inquies: si olim talis vsus apud aliquot nationes obtinebat, qua ratione factum, vt ab eo recesserint? cum tandem damnauerint, reiecerint? respondẽdum est id imputandum videri

deri armis Romanorum. Cum enim ipsi admodum humani essent, & ciuiles, & numquam talia sacrificia in suam ciuitatem admisissent, dederunt operam, vt persuaderent nationibus, quas subigebant, vt morem ab omni humanitate abhorrentem auerruncarent. hoc absq. dubio obtinuerunt à Carthaginensibus, à Massiliensibus, à Syris, alijsq. Ita Christiani docuerunt nostro seculo Brasiliæ populos abstinere ab esu carnis humanæ, quamuis qui syluestres in ea regione sunt, eam nondum omiserint.

An ad constitutionem religionis æquè necessaria sint templa, ac sacrificia? Cap. VII.

A*D constituendam religionem non perinde videntur esse templa necessaria vt sunt sacrificia. Germani namq. veteres habebant Deos, eos colebant mactando victimas, templis autem carebant, cum Tacitus ipsorum nullam faciat mentionem, dum accuratè eorum mores describit. quin ait ab ijs damnata templa.* Cæterum nec cohibere parietibus Deos, ex magnitudine cœlestium arbitrantur: *inquit de ipsis historicus, quasi concludatur dij muris, si templa ijs construantur. persæ quoq. etsi religione non carerent, videntur tamen à templis construendis abhorruisse, cum ea passim exurerent, cum subigerent Græciam. apud Iudæos ante templum constructum à Salomone non defuit religio nec tamen adfuit templum. passim in Genesi legere est sacrificia mactatasq. victimas à Patriarchis, non autem vllum constructum templum,*

Neq. puto plura apud Iudæos post Salomonis tempora templa fuisse, quia Tacitus in V. histor. sic de eis loquitur: igitur nulla simulachra vrbibus suis, nedum templis sunt. *Eam tanquam minus peritus rerum Iudaicarum sic est locutus. ex ijs, quæ dicta sunt, colligere est templa esse quidem partem Religionis, sed non ita necessariam, vt sunt sacrificia. Quod si cui lubeat necessitatem templorum in constituenda religione vrgere, dicere licebit Germanos caruisse templis ob falsam opinionem, quia putabant si construantur templa Numen videri eo concludi, & intra angustias compelli. Pro templis autem Germani* lucos & nemora consecrabant. *etsi ergò templa non haberent, habebant tamen instar templorum. Persæ barbarum & absurdum in morem contra sententiam reliquarum Nationum euertebant, exurebant, solo æquabant templa, indigni quorum eiusmodi iure habeatur ratio. Ad vetus testamentum quod attinet non videtur mirum, si Patriarchæ, vt Abraham, Isaac non construxerunt templa in Palæstina, quia peregrini erant, neq. locum certum, certasq. sedes habebant. in Ægypto posteris Iacobi non licuit condere templum, quod premerentur sum. seruitute, iugo iniquo. Terram Canaan cum occupâssent vix vmquam vacauerunt à bello, perpetuò prope certantes cum vicinis hostibus cum ergò tranquillitatem ipsis aliquam largitus fuisset Deus, non distulit Salomon magnificum construere templum de quo tam multa scriptores rerum veteris testamenti habent, vt non defuerint, qui integros libros de eiusmodi materia composuerint, euulgauerint. Quid referam cumpilatores Talmud, qui eidem templo non pauca im-*

penderunt, quæ etiam à recentioribus non indiligenter ex posita fuerunt.

Qualis esset potestas Regum apud veteres Germanos, absolutane, an temperata?

Cap. VIII.

QVales Reges, qualeq; regnum apud veteres Germanos fuerit, si scire cupis, Tacitus interrogatus hæc promet verba de Mor. Germ. cap VII. num. 1. Reges ex nobilitate sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas *cap. XI.* de minoribus rebus Principes consultant, de maioribus omnes coëunt, *idest conueniunt.* illud ex libertate vitium, quod non simul, nec iussi conueniunt: vt turbæ placuit, considunt. Mox Rex vel princeps audiuntur auctoritate suadendi magis quã potestate. *hæc Tacitus. nõ erat hæreditariũ regnũ, nam historicus inquit:* Reges sumunt *hoc est, Germani eligunt Reges. qui eliguntur, eorum non est absoluta, & infinita potestas, vt videre est in regibus veterum Romanorum, apud quos à Rege ad populum prouocatio erat, teste Seneca prolata auctoritate ex libris Tullij de Republica. idem discere est ex more sarmatarum siue Polonorum, qui cum habeant Reges ex libera electione, eorum non est infinita potestas. Quid verò sibi vult Tacitus, dum ait Regum apud Germanos nõ fuisse infinitam & liberam potestatem? alligatos fuisse quibusdam legibus. nam libertas est facultas faciendi quod lubet, nisi ius obstet, & impediat. Ergò reges Germanorum erant secundum leges, & non absoluti. quod etiam dicendum de Principibus apud Romanos.*

nam

nam quod dicuntur fuisse soluti legibus, id intelligendum de legibus, quæ respiciunt priuatos, non autem complectūtur publicam salutem. illis certè non erant soluti. cum verò, quod soluti essent legibus priuatorum id haberent à populo Romano, vt disertè videre est lib. 1. hist. Taciti & D. de legib. & senat. vbi eiusmodi solutio dicitur priuilegiū, quod priuilegium si Princeps accipiebat à populo Romano, haud dicendum est Principum fuisse absolutam potestatem. Nec Tacitus *dum ait Regum potestatem fuisse secundum leges intelligit fuisse ex lubitu ipsorum regum, & secundum (vt aliqui vocant) conscientiam. nam quando quis dicitur esse Rex secundum leges, & habere potestatem secundum leges id non tantum ad consilium, ad rationem, ad voluntatem Regis refertur, sed ostendit eum esse alligatū quibusdā legibus quarum vim non decet esse positā in voluntate eius, cui fertur, cum lex ideò dicatur lex quia cogit, & adigit ad parendum nolentem parere. vnde colligere est S. Thomam, quando inquit Principem esse solutum legibus coactiuè non directiuè, loqui de legibus complectentibus negotia priuatorum, non autem de ijs, quæ sunt fundamentum publicæ incolumitatis. pergit* Tacitus *& ait: de maioribus negotijs consultare omnes, hoc est totū populū vocatū ad comitia. de minoribus Principes. Ita fere hodieq. mos Sarmatarū, Britannorū, Hollandorū, Germanorum quos omnes vt simplices aut ineptos dānare est velle supra crepidā sapere sutorē. Famianus autē in sua historia Comitia totius populi, & procerum impugnat, vt grauiora negotia redigat ad Consiliū priuatū hoc est paucorū Principi addictorū. Rationes porrò quibus pugnat pro taliū cōsilio priuato*

ad euertenda comitia, siue senatusconsulta diriguntur ad-uersus consuetudinem omnium perpe nationum. Quid enim frequentius apud scriptores historiarum quam aucto-ritas Senatus, quam concilium totius populi? quid vnquam illustrius vidit sol Senatu Romano consulente ciuium salu-ti per decursum seculorum? sub ipsis Principibus & Impe-ratoribus quid non agebat senatus, modò Principes essent sapientes & boni, non propensi in Tyrannidem? sub Repu-blicâ autem maxima negotia ad comitia centuriata totius populi referebantur. An enim populus totus potest peccare in propriam salutem? Amplissimus senatus decernere quæ noxia sint? vix id fieri solet, aut si quandoq; contingat, id perquam rarò euenit. At pauci illi addicti Principi pri-uatis rationibus consulentes aucupantesq; magnam aucto-ritatem nō illuc dirigunt cogitationes, vt toti populo bene sit, sed augeatur potestas Principis, in cuius beneuolentia & affectu totam suam collocant felicitatem. Vt verò si-milia ijs, quæ iam prompsimus ex Tacito, de potestate Re-gum apud Germanos non infinita, agnoscantur, perpendat lector historici verba XIII. Annal. cap. LIV. num. 1. auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam rege-bant in quantum Germani regnantur. *Quod verbum passiue flexum nescio an alibi, hoc est apud alios scrip-tores reperiatur. Verritus scilicet & Maloriges ita regna-bant, vt regia potestas limitibus satis arctis contineretur: germani enim regnantur quidem sed latè, & non absq; li-bertate. hinc idem de Moribus Germ.* Trans Lygios Go-thones regnantur paulò iam adductius, quam cateræ Germanorum gentes, nondum tamen supra liberta-

tem,

tem. *Vides non adeò arctè, etsi arctè regnatos Gothones, nec proscripta libertate. Quid dicunt nostri temporis scriptores, ne dicam an adulatores, apud quos regnum & libertas duæ res dissociabiles? quò magis mirari iubet Tacitum lib. I. Regno opposuisse libertatem, nam postquam locutus est de regibus mox subijcit à Bruto institutum consulatum, & libertatem. Nisi dicas oppositam libertatem regno, quia illic sermo de libertate latissimè patente, qualis fuit apud Romanos eiectis regibus. Vt enim subiectionis, imò & seruitutis, ita & libertatis sunt gradus sub regibus Romanorum libertas, sed arcta, vt consulatus secum traxerit ius ciuium, quod adeò late patebat, vt præ illo Romani sub Regibus viderentur caruisse libertate, apud Germanos autem numquam tam arctè regnatum est, vt libertas exclusa fuerit, quod indicat locus Taciti de Gothonibus, qui regnantur quidem paulò adductius quam cæteri Germani, non tamen adeò adductè tanta angustia vt de libertate actum foret. Sed quid dicemus de verbis Galbæ apud eundem Tacitum histor. I. cap. XVI. lin. 7.* Neq; enim hic, vt in cæteris gentibus, quæ regnantur certa dominorum domus, & cæteri serui: sed imperaturus es hominibus qui nec totam seruitutem pati possunt, nec totum libertatem. *vides à Galba indicari gentes omnis præter Romanam sic regnari, vt tamquam serui subsint regibus, dominis. Falsum ergò regnari sic Germanos, vt libertas non exulet. Respondendum est absq. dubio loqui Galbam de Gentibus in oriente positis non in Septentrione collocatis, cum oriens semper videatur dedisse reges absolutos, vt propterea Aristoteles dixerit barbaros natura esse seruos,*

quod si de barbaris ad septentrionem exponas, falsum; sin de persis reliquisq. in oriente verum. Ergò de Britannis, qui & ipsi in septentrione sunt, idem Tacitus: ipsi Britanni delectum ac tributa, & iniuncta imperij munera impigrè obeunt, si in iniuriæ absint: has ægrè tolerant, iam domiti vt pareant, nondum vt seruiant. *Qui seruit contradicere non potest, nec quicquam recusare sed necesse est vt obsequium suum dominantis voluntati, quicquid demum imponat & iubeat attemperet. Qui autem paret, paret vt hominem liberum decet, cui si indigna, & non ferenda iniungas, & intentes, potest ea recusare, detrectare allata ratione, et si ratio inueniat surdas aures, tandem etiam vi. Notatur porrò à Tacito vitiũ in Germanis proueniens ex libertate. nã deliberaturi de rebus magni momenti, cum non conueniant iussi, sed vltro ex propria animi sententia fit vt non adsint stata die conuenientibus alijs quidem citius, alijs tardius. Cum autem negotia grauia, imminente præsertim periculo ob bellum motum aut mox mouendum à vicinis, deberent quamprimum in deleberationem venire non verò trahi & protrahi libertas facit, vt lentius omnia suscipiantur, peragantur. verissimum namq. illud est, quod versiculo sanè vulgari fertur:*

Omnis commoditas sua fert incommoda secum.

Malebant autem Germani peccare mora in expediendis negotijs, quam ferre Regum absolutum imperium, & graui dominationis iugo esse obnoxij. hac quoq. tempestate videre est Germanos lentè conuenientes ad comitia, lentè etiam conuenientes in Curiam ad deliberandum, quia cogi

ne-

nequeunt, nec puniri illi, qui certa die non adfuerint. Quin in vniuersum apud omnes populos libertate gaudentes eandem lentitudinem deprehendere est, apud Britannos, Sarmatas, siue Polonos, Vngaros siue Pannonas Hollandos, Heluetios, Rhatósq. Hinc adeò fit, vt bellicæ expeditiones in Rebuspublicis aut regnis, quæ magnam cum Rebuspublicis affinitatem habent, minus promptè, & ea qua decet celeritate suscipiantur, promoueantur; cum homines liberi minus sint solliciti de occupandis alienis, solliciti potius de conseruandis proprijs. Ob pericula tamen vtcunq. occursum est eiusmodi tarditati. nam Britanni habent Regem, vt & Pannones & Sarmatæ, Hollandi Ordines vel legatos perpetuo Hagæ degentes. Maiora autem negotia, vt indictio belli, transactio cum hoste, indictio tributorum, pacis conditiones reseruantur comitijs totius nationis, quæ comitia absq. dubio obnoxia moræ. Celeriter autem eædem nationes vt & Heluetij & Rhæti confluunt quando inuaduntur ab hoste, quando non de occupandis alienis, sed de defẽdẽdis proprijs agitur, sũmo periculo proximè imminẽte. superfunt apud Tacitum in verbis, quæ deprompta in principio dissertatiunculæ huius, quæ narrantur de orationibus solitis haberi à Regibus & principibus in comitijs totius populi apud Germanos: assensum enim Reges impetrabant non imperando, sed suadendo. quod ostendit clarissimè supra Reges collocatam Comitiorum potestatem. Totus enim populus vt arbiter, vtq. iudex audiebat Reges Principesq. aliquid suadere conantes. saltem Comitiorum ea erat potestas, vt possent non assentiri prolatis rationibus. apud Romanos quoq. in rebus non adeò magni momenti rescribe-

bant Principes, sed quando de re maioris momenti agebatur, in senatu disceptabatur orationem habente Imperatore expectanteq. assensum Senatus, in cuius consessu non deerant, qui in aduersam partem orarent. etiam sub Tiberio superbo cæteroqui Principe & hoste libertatis, vltrò citroq. à Senatoribus, antequam fieret Senatus consultum, orabatur, gaudente (saltem in speciem) Tiberio adhuc tantam superesse proceribus Romanis, quos querebatur ad seruitutem natos, libertatem. Narrat profectò Tertullianus cupiuisse admodum Tiberium in numerum deorum referri Christum Seruatorem nostrum, sed id obtinere non potuisse à Senatu, quamuis Cæsar in sententia de Christo inter Deos recipiendo perstiterit.

Quæ moneta olim Germanis? vnde plerumq. nummi nominentur? Cap. V.

DE moneta, qua vtebantur antiqui Germani ita *Tacitus de Mor.Germ. cap. V. num.* 7. pecuniam probant veterem & diu notam, serratos Bigatosq. *vnde Bigati, serratiq. nummi dicti? puto à signo impresso biga, & serra, quod bigæ serræq. frequens vsus mortalibus. Nomina certè pecuniæ signatæ pleraq. ab impresso signo. hinc coronati nummi à corona, regales ab effigie Regis, aut saltem eius insignibus, aurei solares à Sole, cuius forma signantur. Cruciones dicti à cruce, nisi malis dicere cruciatos: ducati, aut ducatones ab insignibus ducis Mediolanensis. Paulini Italicè pauli, Iuliani Italicè Iulij ab effigie summi Pontificis Pauli, Iulij. Quid singula referam*

ram? aliunde tamen etiam nomina nummorum petuntur. Philippei olim dicti, non quod effigiem Philippi praeferrent, sed iussu Philippi cusi. Vngarici aurei, quod in Pannonia, quae hodie Vngaria, & quidem ex auro pannonico cudantur. Sultanini à Principe Turcarum qui sultan ab ipsis appellatur dicti; Zecchini veneti, quia cuduntur in officina publica vbi cuditur moneta, quae officina appellatur ab Italis la Zecca. vnde verò dicti Talleri, sermone Germanorum adeò noti? à valle Iobachimica in Bohemia, vbi est argentifodina. nummi argentei primũ ex illo argento cusi dicti Talleri, quasi Vallenses, à valle argenti ferace.

Appendicula cap. 1. Diatribae huius.

IN diatriba altera, cap. 1. dixi Aegyptios non putare Deos mori, quod quidem sciam. hoc videtur oppugnari Satyra XIV Iuuenalis; vbi non pauca, vnde colligere licet Aegyptios putasse Deos mori, apud ipsos cum sint dij multa animalia quae absq. dubio moriuntur. ne iam loquar de numinibus, quae Iuuenalis ait nasci in hortis Aegyptiorum. At ex Herodoto libro secundo nouimus Aegyptios coluisse isidem, & Osirin, Iouem, Mineruam, Herculem, quibus nequaquam mortalitatem tribuunt. Quid dicendum in hac difficultate? Si verum est Aegyptios putasse animalia quaedam esse Deos, cum animalia moriantur, necesse est dicere ipsos existimasse absurda prorsus opinione saltem aliquos Deos mori. Aut asserendum est, Aegyptios veneratos fuisse quaedam animalia, non quod putarent esse Deos sed quod vtilia admodum essent. hinc Hero-

dotus ait Ægyptios non immolare boues fœminas Isidi consecratas, quas etiam valde venerantur. idem Herodotus ait arietes non mactari à Thebanis, quia sacrosancti ipsis sunt. ille ipse historicus narrat eos Ægyptios, qui colunt Pana, nequaquam mactare capras, & hircos. Qui verò irridebant AEgyptios tamquam superstitiosos, aiebant animalia, à quibus ipsi abstinebant, colere tamquam Deos. Ita Petronius cum Iudæi non comedant carnem suillam pronunciauit ea à natione porcinum numen adorari. *Iuuenalis autem videtur omnia exaggerasse, vt traduceret & exploderet populi AEgyptij superstitionem. ait ergò crocodilon à parte AEgyptiorum adorari, ab alijs coli Ibin. quædam oppida venerari canem. An verò veneratio statim ostendit Deum esse, cui talis cultus impenditur? Quicquid de ea re sit, si quis Ægyptios interrogasset, an Ibin existimarent esse Deum aut deam, nescio an fuissent affirmaturi? Cicero tantum ait Ægyptios nullam belluam nisi propter vtilitatem aliquam consecrauisse, vt Ibin, quod perimat serpentes.*

IN

IN TACITVM DIATRIBA TERTIA

Cur Tacitus Epistolas non inseruerit suis annalibus, & historijs? Cap. I.

APVD Tacitum in Annalibus, historia, & Agricola nusquam reperire est integram aliquam Epistolam, vnam si excipias in III. Annal. cap. LIII. qua Tiberius grauiter inuehitur in luxum instar contagionis depascentem rem familiarem Romanorum. Cum autem constet ex Iuuenali longam Epistolam exaratam à Tiberio ad Senatum ad perdendum Seianum, eius tamen nihil superest, quod historia de Seiani supplicio perierit, particula tantum

tum Quinti Annalium superstite, in VI. autem Annal. aliquid ex Epistolis Tiberij insertum, vt initium illud: quid scribam vobis patres C. aut quomodo scribam, *quod etiam legitur apud Tranquillum. Mox aliquid Tacitus ex eadem Epistola perstringit, alibiq. fragmenta quædam litterarum promit, quas Tiberius Capreis degens ad Senatum exarabat breuiter, vt puto. vt sileam quas ait exaratas ab eodem Tiberio ad Germanicum in Germaniam. in V. histor. cap. LXXV. memorat Ciuilis & Classici Epistolas ad Cerealem, quarum non verba sed tantum sententiam ponere satis habuit. V. histor. hæc leguntur:* scribuntur ad Treueros Epistolæ nomine Galliarum, *aliquidq. sed exiguum ex ipsis delibatur. in II. histor. cap.* 64. vocatum per Epistolas. *vicissim quando agitur de Vespasiano promouendo ad imperium scriptarum Epistolarum fit mentio lib. II. hist. apud Sallustium puto duas integras, sed non prolixas legi, à Plutarcho in vita Alexandri non semel citantur Epistolæ sed non inseruntur totæ. Ita ferè reliqui Historici, quantum quidem nunc memoria complecti possum. Cur autem tam accuratæ & non infrequentes apud Tacitum aliosq. orationes legantur, Epistolæ autem vel nullæ extent, vel obiter tantum aliquid ex ipsis decerpatur, si scire cupias, puto responderi posse, id factum, tum quia orationes sunt pars non exigua rerum quæ narrantur, tum habeantur in senatu, coram exercitu, coram Principe. vnde fit, vt emanent in publicum, volitentq. per ora virum: præbeantq. sermoni hominum magnam materiam. At Epistolæ sunt res pusillæ & minutæ, interq. priuata negotia ferè referendæ: quas si quis inseruerit suis*

historijs

hiſtorijs integras, & quidem non pau as numero, non poterit excuſari à culpa, cui apud eos, qui de ſcribenda hiſtoria egerunt, ſunt obnoxij hiſtorici minuta negotiorum, puſillas res conſectantes, abeunteſq. à grauitate, maieſtateq. rerum memorabilium.

Num iure, & abſq. Tyrannide Tiberius ſucceſſeris Auguſto? Cap. II.

AN Tiberius legitima moribusq. Romanorum conſentanea ratione ſucceſſit Auguſto, potuitq legitimus appellari Princeps? res non caret difficili ambiguitate affirmet, qui cogitet ab Auguſto adhuc ſuperſtite factum Tiberium conſortem Tribunitiæ poteſtatis, & imperij, adoptatum, vt collegam oſtentatum per omnes exercitus, vt eſt apud Tacitum in primo Annal inuectus principatus cui potius debebatur, quàm filio Auguſti natu maiori? nam Germanicus erat ætate minor. Apparet etiam magno conſenſu à Senatu populo, milite ſuſceptum, & agnitum Tiberium. At aduerſus talem ſucceſſionem non pauca promuntur. nam ſi more Regio, legeq. Regia inuectus eſt principatus, vt apud Romanos electione deferebatur regnum, ita & vita functo Auguſto eligendus videbatur Tiberius. vnde verò conſtabat debere Principatum tranſire hæreditaria ratione in filium adoptatum? adde Romanos abhorruiſſe à moribus, & ingenio Tiberij ipſe verò mox omnia munimenta imperij occupauit non expectato vllo conſenſu Senatus, qui territus vtcumq eum ſuſcepit. Taciti ſunt verba 1. Annal. exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama

eadem

eadem tulit. At Romæ ruere in seruitium Consules, Patres, Eques, *sibi metuentes ipse verò defuncto Augusto* signum prætorijs cohortibus, imperator dederat, excubiæ, arma, cetera aulæ. miles in forum, miles in curiam comitabatur. *An ergò vim adhibitam à Tiberio dicemus, in inuitos arripuisse imperium, & debuisse expectare sententiam Senatus? Res videbatur esse inextricabilis. Romani namq. vt memores erant veteris libertatis, ita etiam reformidabant bellorum ciuilium incredibilia mala, neq. temere volebant reabi in antiquas difficultates. videbant etiam Tiberium filium Augusti hæredem omnium institutum, mox se gessisse pro hærede proq. Imperatore, & veterem militia esse cinctum militibus. Ergò putarunt satius esse morigeros se illi præbere. ipse quoq. non videtur prorsus accusandus, si voluit videri statim ab excessu Augusti imperator, nam si metum prætulisset, poterant oriri turbæ, poteratq. fieri vt aliqui veterem libertatem repeterent, alij autem Germanicum postularent. ipse autem putauit se natu maiorem debere tueri voluntatem Augusti, potestatemq. cuius consors factus fuerat, assumere. Quamuis itaq. successionem Tiberij non ausim omni ex parte legitimam appellare, malim tamen eam legitimam, quam illegitimam, & tyrannicam vocare.*

A prin-

A Principibus debere suscipi profectiones in bellum. Cap. III.

D*Ebere Principem & Regem suscipere profectiones ad tuendum decus imperij, & vindicandam maiestatem, seditionesq. tollendas docent Romani apud Tacitum* 1. *Annal. cum enim cunctaretur Tiberius in Germaniam se conferre ad reprimendos seditiosos; ipsi aiebant* ire ipsum, opponere maiestatem imperatoriã debuisse cessuris vbi principem longa experientia vidissent. Augustum fessa ætate toties in Germanias commeare potuisse. *in III. Annal. inquit Drusus:* principibus adeunda sæpius longinqua imperij. quotiens diuum Augustum in occidentem atq. orientem meauisse. *in II. Annal. cap. XXVI.* se nouies à Diuo Augustò in Germaniam missum, *ait Tiberius. Agnouit etiam Tiberius suarum tunc fuisse partium iter suscipere, ideoq. finxit se proficisci velle finxit, inquam, & fefellit, quod minimè factum oportuit. dices non debere dari in discrimen maiestatem Cæsaream, Regiam. Itane differunt, qui adulantur ignauis principibus? imò aut periculis est occurrendum, aut prorsus abstinendum à bello. quis enim in bellum proficiscens, non adit discrimen? an extra discrimina fuit Carolus Quintus militans in Germania, in Africa, atq. alibi? Nequaquam. Nemo porrò sanæ mentis asseruerit debere Principes & Reges abesse à bello, nam belli potissimum causa Reges olim instituti. Quis verò non miretur nostri æui homines tam frequenter Tiberianum exem-*

plum ingerere, Augustæum autem, & aliorum fortissimorum Principum facta silentio inuoluere?

Regimen mixtum & temperatum agnitum & laudatum fuisse à Tacito, & ab ipso Aristotele. Cap. IV.

AN Regimen mixtum siue temperatum ex tribus formis tantopere laudatum à Polybio agnitum est & commendatum à Tacito? id affirmo. nam apud ipsum in primo historiarum inquit Galba alloquens Pisonem: imperaturus es hominibus, qui nec totam seruitutem pati possunt, nec totam libertatem. *Quæ licet à Galba proferantur, tacitè approbantur à Tacito, qui absq. dubio putauit melius regi Romanos, quam Barbaros in oriente positos, cum ex Aristotelis Politicis didicisset Reges illic esse dominos, cæteros autem seruos. Romani autem homines liberi parebant volentes bonis Principibus secundum leges imperantibus, salua auctoritate Senatus. Quid quod Tiberius non abnuente vt puto Tacito, pronunciauit:* Principes esse mortales, Rempublicam æternam. *vides quid admisceretur Principatui apud Romanos, vt Respublica non nitens solis Principibus esset æterna. æternitas scilicet Reipublicæ nitebatur auctoritate & sapientia non deficiente senatus. quod pulcherrimè exposuit Otho I. histor. cap. LXXXIV.* æternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra salus, incolumitate Senatus firmatur hunc auspicato à parente & conditore vrbis nostræ institutum, & à Regibus vsq. ad Principes continuum & im-

& immortalem, sicut à maioribus accepimus, sic posteris tradamus. *Non enim vnquam Senatus constans ex flore magnoq. numero procerum sanciet, quod noceat populo, nec nisi mala necessitate coactus noxia iussa Principum suscipiet. Quid verò Senatulo facies, tribus quatuorq hominibus quandoq. ex humili loco prouectis, adq. lucem Principis adductis? sæpe etiam peregrinis solumq. dominum respicientibus? ò perniciosos interpretes rerum ciuilium, qui non verecundantur Senatus venerabile apud plerasq. omnes nationes nomen oppugnare, vt nobis Senatulum ex tribus quatuorq. nescio quibus hominibus conflatum obtrudant. Annon senatui acceptam ferimus diuturnitatem & immotam tranquillitatem Reipublicæ Venetæ? Cur à tempore Othonis Magni in hanc diem stetit res Germana? Comitijs procerum principumq id imputandum, qui non patiuntur Cæsares per lubitum extra lineas patriarum legum errare. Cum autem nutet hodie, si vmquam, Germanica maiestas, non aliunde instaurationem & pristinum decus sperat, quam à conuentu Principum. Cui rei perniciem Reipublicæ Florentinæ tribuit summus historicus Guicciardinus? Quod Suderinus, vt placeret plebi, amplissimum Senatum ex præcipuis ciuibus constituere neglexerit. sed num idem ipsum regimen mixtum agnouit Aristoteles? agnouit, cum tam multa protulerit de Spartanis, apud quos Ephori non patiebantur immensam esse Regum potestatem. is ipse in III. polit. cap. XIV hæc scribit :* in Lacedæmoniorum Republica videtur esse Rex maxim è secundum leges: neq. enim potestatem habet omnium;

sed cum egreditur extra regionem, imperium habet eorum quæ pertinent ad bellum, præterea sacrificia deorumq. ceremoniæ ei cōmissa sunt. hæc igitur regia potestas est, quasi auctoritatem belli perpetuam habere, vitæ enim necisq. alicuius non habet potestatem nisi cum bellum gerit, vt etiam apud antiquos fuisse videtur, quod ostendit Homerus. *Heroicis quoq. temporibus Regimen mixtum erat, vt ibidem docet Philosophus subsecutis ætatibus ait ipse eò rem deductam, vt in quibusdam ciuitatibus Regibus relicta fuerit sola cura belli, et rerum sacrarum. sub finem eiusdem capitis agit de quinta specie regni, quando vnus omnium habet potestatem, vt paterfamilias velut Rex præest omnibus, de qua specie nū sit consentanea rationi quærit XVI. capite, existimatq. nequaquam par esse vt arbitrium omnium rerum vni homini permittatur. saltē narrat* regiam potestatem plenissimam, per quam Rex omnia ex voluntate sua gubernat, videri quibusdā nō esse secundū rationē, vt vnus omniū dominus sit ciuium. *hinc subijcit*. Melius igitur, vt lex dominetur, quam aliquis ciuium, eademq. ista ratione si quos præesse oportet, ita sunt præficiendi vt custodes legum atq. ministri. *vides nolle Aristotelem in ciuitate absolutum imperium tribui, extraq. lineas legum positum, vt intelligamus ab ipso commendatum regimen temperatum, absolutum autem reiectum.*

Ma-

Magisne faciat ad salutem nationis senatus, an Comitia? Cap. V.

Mixto de regimine quando agitur, absq. dubio memorantur comitia, & conuentus populorum, nec siletur de Senatu. Tacitus sanè, apud quem summopere nec semel commendatur Senatus Romani auctoritas, quando de Germanis libertatem amantibus agit, refert, qua ratione per interualla temporum conueniant, magnis de negotijs deliberaturi. Num verò talia comitia, conuentusq. populorum qui quandoq. req. sic poscente habentur apud Germanos, Anglos, Sarmatas, Batauos, Heluetios, Rhætos dici merentur Senatus? vix puto sic posse appellari, nam Senatus est procerum ingens multitudo degens semper vna in vrbe, & admodum frequenter conueniens, qualis fuit Senatus Romanus, & hodie Venetus. At proceres in Anglia, ex quibus conflantur comitia, quæ parlamenti nomine insigniuntur, non semper degunt Londini, imò plerumq. sparsi per Regnum. quod dicendum etiam de Polonis, de principibus Germaniæ, de præcipuis viris in Heluetia, & Rhætia. Sed age ineamus comparationem inter Comitia & Senatũ, cum tam iste quam illa ad Regimen mixtum faciãt, Satiusne est nationi habere Senatum, an comitia? puto gloriosius esse Senatum habere, cum ipse semper consulat saluti totius populi, & statim conuenire queat, oratoribus respõdere, secretũ, quod anima est consilij, seruare, arcana quædam imperij habere, bellũ gerere, suppetias amicis mittere, statĩ audire, illicò respõdere. Quæ Comitijs nõ cõueniũt. Ergò

Senatus

Senatus magis facit ad æternitatem & stabilem statum imperij. Sed videndum, quid poscat consuetudo, conditio locorum, propensio nationis, quid postulet sumptus, & eiusmodi alia. Heluetij profectò, cum varij Pagi, variaq. oppida, quorum vnum alteri non concedit, constituant rempublicam, vt etiam vitentur sumptus, non possunt habere vnoin loco perpetuum Senatum. Ergò necesse est quandoq. tantum ab ipsis, vt & à Rhætis conuentus haberi.

Ad constituendum Senatum requiri non exiguum numerum præcipuorum virorum. Cap. VI.

AD constituendum Senatum requiritur multitudo non exigua præcipuorum virorum, nam si Senatum confles ex paucis, poterunt inter se conspirare, suæq. vtilitati & magnitudini velificari, insuper habito emolumento & honore communi totius populi. Ita Decemuiri apud Romanos constituti ad ferendas leges conspiratione facta statuerunt non deponere potestatem decemuiralem, atq. adeò iniustum imperium exercere in populum, libertatemq. inuecta perpetua potestate euertere. At si magnus sit numerus conspicuorum hominum, vix poterit fieri, aut difficillimè fiet, vt velint conspirare ad opprimenda publica iura. Ideò Romulus ex quo licet in regno, & vrbe angustos admodum fines habente voluit ex centum viris constare senatum, quos etiam patres appellauit, Crescente autem imperio creuit etiam non paruum numerus Senatorum, vt

perti-

pertigerit ad tria milia procerum, atq. etiam plures: qui quidem Senatus medius inter populum, & Consules regia prope potestate præditos semper ita segessit, vt saluo Senatu numquam fuerit conclamata salus Reipublicæ, nisi quando re infeliciter gesta à Pompeio, aut etiam oppressus à potentia Syllæ coactus est temporum iniquitati cedere: deinceps tamen vtcumq. recuperauit pristinam auctoritatem. hac tempestate multum refert de maiestate & amplitudine Senatus Romani, Venetus Senatus, de quo cùm cogitamus, cogimur hac quidem in parte Rempublicam Venetam reliquis Rebuspublicis huius temporis præferre. Nã Heluetij & Rhæti caret Senatu communi omnium pagorũ, & pro Senatu comitijs gaudent. idem dicendum de Republica Germanorum, Anglorum, Polonorum. Sed quid dicemus de Hollandis? ipsi itidem in rebus maximi momenti vtuntur comitijs omnium prouinciarum fœderatarum. Cum autem gerant bellum, & valde multa subito expedienda veniant, cum Oratores Regum, & Rerumpublicarum frequenter sint audiendi, cum creandi sint militares duces & tribuni sub Principe Arausionensi militantes, quibus credunt propugnacula, constitutus est Hagæ Comitis numerus procerum exiguus secundum numerum prouinciarum fœderatarum, in quo quidem Senatulo (vt sic vocem) cum sit ingens authoritas Principis, ipseq. habeat plura suffragia, eiusmodi exiguo numero non prorsus plenam fidem habere possunt Prouinciæ, cum sit verendum ne in gratiam Principis peragant, quæ minus sint ex vtilitate & securitate Prouinciarum. hinc extiterunt tempore induciarum, cum Barneseltius contradiceret Principi Mauritio, non leues diffic..lta-

ficultates cum ageretur de conuocanda Synodo, de reijciendis opinionibus Arminij, parumq. abfuit, quin ad vim & arma veniretur. Cedit igitur hac in re Respublica Hollandica Venetæ, hincq. colligo longè magis stabilem videri Venetam Hollandica, nam si dissidium graue ingruat Hollandica, ad id tollendum vix habet remedium, quo propter Senatum instructa est Veneta. dices, Helueticam, & Rhæticam esse diuturnas, nam de trecentorum & plurium annorum immoto prope statu gloriantur non falso Heluetij, qui tamen non habent vllum Senatum. Respondendum est rem ipsam ostendere Heluetiorum vt & Rhætorum rempublicam obnoxiam motibus & discordiæ. Quod autem tales discordiæ sopitæ & sublatæ subinde fuerint, id ipsi potissimum Regis christianissimi vigilantiæ, affectui, & auctoritati acceptum lubenter ferunt: absq. namq. opera Gallorum oratorum si fuisset, forte iam nulla esset Heluetiorum, Rhætorumq. Respublica. satis verò constat quam periculosum motum composuerit aliquot abhinc annis iussu & nomine Ludouici XIII. Dux Rohanæus, cum Bernenses aliquot milites Mulhusium in Alsatiam profecti à Solodurianis hominibus interfecti fuissent. qua de re videndus eximius vir Merianus ciuis Francofurtensis.

Diffi-

Difficilia verba Taciti de mixta Republica perpenduntur. Cap. VII.

T*Emperamentum & mixturam regiminis tantopere laudatam à Polybio videtur Tacitus vituperasse his verbis in IV Annal cap XXXIII.* Cunctas nationes & vrbes populus, aut primores, aut singuli regunt delecta ex his, & constituta reipublicæ forma, laudari facilius, quam euenire, vel si euenit haud diuturna esse potest. *duo videntur à Tacito in regimine mixto notari, quæ vt reprehensioni obnoxium reddunt, nempe difficultas summa obtinendi eiusmodi regimen. Neq. enim quando de imperio agitur laudandum id, quod egregium quidem videtur in contemplatione, at difficillimè aptari potest moribus hominum: cum à facili soleant commendari in consultationibus, quæ à nobis suscipiuntur peragenda. videtur etiam reprehendi mixtura regiminis, quia licet eam quandoq. obtinueris, non diu tamen ipsa gaudere poteris, cum mox immutetur & elabatur, & in alia abeat. Ergò simplex forma regiminis præferenda mixtæ, nam simplex & facilior est, & diuturnior. respondendum est etsi difficile sit miscere regimen, dandam tamen operam, vt eiusmodi difficultas superetur, quandoquidem mixtura eiusmodi facit admodum ad mores, & felicitatem hominum. difficultas autem in eo posita est, quia temperamentum trium formarum minuit cuiuscumq. simplicis vim & potestatem. Sit Rex absolutus, & omnium rerum arbitrium habens, haud facile erit eius potestatem intra limites*

compellere. id tamen si fiat, publica felicitas promouebitur. Ergò non est quod deterreamur difficultate, quæ summo emolumento compensatur. ad diuturnitatem quod attinet, putarim nō absolutè dicere Tacitū regimen mixtū nō esse durabile, cum Respublica Romana, & Laconica contrarium ostendant, sed opinor indicare Tacitum eiusmodi verbis contingere mutationes in regimine, non quæ tollant totam mixturam, sed quæ nunc vnam, nunc alteram, atq. etiam tertiam speciem aut intendant, aut remittant, dum qui participes sunt potestatis, conantur aliorum iura ad se trahere.

De multitudine legum corrumpente Rempublicam. Cap. VIII.

CORRUPTISSIMA Republica *in IV Annal. cur pronunciauit Princeps Politicorū Tacitus, esse* plurimas leges? *ea de re in publicis meis recitationibus in Tacitum non indiligenter disserui, quas secutus, quantum memoria iam fert, hic ita loquor. multitudo ingens legum potest referri ad corruptam Rempublicam, siue Reipublicæ corruptelam, vel vt causa, vel vt signum. si dicas referri vt causam, eiusmodi causa erit vel necessaria vel non necessaria, quod ita explico. Ex malis moribus nascuntur leges. nam legislator legibus latis cupit occurrere laboranti vrbi vitijs obnoxia. necesse autem est corruptos admodum mores eorum, quibus emendandis necesse habet Princeps, siue legislator multas imò plurimas ferre leges. Nisi enim magna esset morum corruptela, multiplici varietate*

pec-

peccans, non opus foret magnum legum construere cumulum. Non necessaria causa sic explicatur. sit ciuitas bene constituta, ciues probi minimeq. mali, si aliquis potestate praditus absq. necessitate ferat plurimas leges, quibus minimè indiget status populi, annon bonum statum corrumpet, deterioremq efficiet? absq. dubio. Nam vbi lex non est, peccatum non est. latio autem legum irritat animum, & prouocat ad nitendum contra legem. hinc protritum illud;

Nitimur in vetitum semper, cupimusq. negata.

Videnda etiam in hanc rem sanctissimi Apostoli Pauli Rom. VII. verba. refertur tandem multitudo legum ad corruptam Rempublicam velut signum. nam nisi emendandi forent mores, leges non ferrentur. cum latæ fuerint, necesse est fuisse magnam morum corruptelam. Efficiuntur autem mali ciues, quando sua sponte boni onerantur cumulo legum, quæ sunt veluti retia ad capiendas aues. ignorandum namq. non est callidos Principes, aut quocumq dicantur nomine, ad rem faciendam, ad trahendos ciues in pedicas, & vincula, solere callide multas leges excogitare, vt latis legibus, cum occurrant multa ad quæ quis impingere queat, ipsi pœnis, multis, supplicijs se formidabiles reddant, & diuitias corradant. Cum autem valde male de ciuibus mereatur is, qui in materia non necessaria condit leges, necesse est corruptissimam esse, aut saltem non bene habere eam Rempublicam, quæ abundat legibus, hoc est esse miseram, calamitosam, premi sub iugo duro, esse obnoxiam vexationi. Annon enim dicor vexari, quando in re non necessaria imponitur lex, vt si forte eam transgressus fuero, trahar ad tribunal,

bunal, conijciar in carcerem, supplicio afficiar? exemplo res fiet clara. apud Heluetios & Rhetos cum omnes domi habeant arma, quibus re poscente possint indui ad pugnandum pro libertate, & hostem submouendum vix tamen quisquam in publico, exceptis ijs, qui in Magistratu collocati sunt, induitur gladio, nisi itineri accingatur aut reuertatur aliunde. Si tamen promiscuè quilibet aut pleriq. omnes ferrent enses, id forte perniciosum esset, cum frequenter aduersus seinuicem ijsdem armis vti possent. Iam verò cum gladiorum delatione abstineant, cur ferretur lex vetans ferri arma? id verò causæ esset, vt aliqui gestantes arma impingerent in legem, atq. adeò plecterentur; quod esset deteriori statui obnoxias nationes illas reddere. addiderim aliam expositionem: sæpe enim sanciuntur leges, non quod ratio ciuium id postulet, sed vt latis legibus arctati & constricti mores indigeant laxari, & extra angustias poni, petita facultate ab eo qui legem tulit; facultas autem eiusmodi non obtinetur nisi soluatur pecunia. Nonne hoc verò est corrumpere rempublicam, dum non alia de causa feruntur leges, quam vt res fiat, & corradatur argentũ, cum quibuslibet petentibus detur facultas transgrediendi legem? Lex enimuerò non debet vetare, nisi id quod sua natura malum est. interim videmus ferri leges, quas statim & impune licet violare modo pendas nummos. si malum est ferri arma in ciuitate quod frequenter committantur homicidia, cur quæso cuiuis licet ea ferre, qui soluta pecunia impetrauit facultatem?

IN

IN TACITVM DIATRIBA QVARTA

De pecunia non transmittenda ad peregrinas gentes. Cap. I.

TIBERII *verba sunt apud Tacitum in III Annal. cap. LIV.* atq. illa feminarum propria queis lapidum causa pecuniæ nostræ ad externas, aut hostiles gentes transferuntur. *lapidum nomine intelliguntur lapilli, quorum magnum est pretium, atq. etiam margaritæ, quæ petuntur ex sinu persico. Talia igitur quæ faciunt ad ornatũ fœminarum aduehuntur ex oriente, cum occidens talium* [illegible] *magis miror inuen-*

tum

tum aliquem ex grege philosophorum, qui non dubitarit orientem occidenti postponere. Cur ergo lapillos & margaritas non promit occidens? cur occiduarum gentium pecuniæ ad Eoos ad coemendas eiusmodi merces transmittuntur? Meritò autem Tiberius putabat ponendum modum talibus ornamentis mulierum, cum ad inopiam redigerentur Romani victores cæteroqui terrarum. diuitiæ profectò regionis in eo sunt positæ, vt ipsa sit vendax non emax, hoc est non aliunde merces accipiat sed multas, superfluas nempe, emittat. hinc adeò factum, vt olim Ptolomæi Reges immensam vim auri in Ægyptum traxerint, quod ab alijs vix quicquam, nullius indigi acciperent, triticum autem per vniuersum prope orbem dimitterent. hinc Nilus dictus aurifluus, quod frumentum, quo maximè Nili causa abundant Ægyptij, magna copia peteretur ab illa prouincia. Sensit idem Henricus IV. rex Galliarum prudentissimus, qui profligato bello ciuili totus in eo fuit, vt Galli nulla re indigerent, multa autem transmitterent ad peregrinos allicerentq. mercatores. Quæ res dici non potest, quantopere profuerit Gallicæ nationi. Quod porrò Tiberius protulit de lapillis, quorum causa pecuniæ inopia laborabant Romani, id transferendum cum Plinio ad odores, crocum, cynnamomum, stacten, thus, eiusmodiq. alia. Cur enim Arabia dicta est felix? quia ferax odorum pecuniam immensam à Romanis accipiebat, quandoquidem ingentes faciebant sumptus, vt funebris pompa, cum comburerentur cadauera, iniectis igni odoribus quam sumptuosissima foret.

De

De ornatu Matronarum apud Romanos. Cap. II.

L*Apides memorat Tiberius in III. Annal. apud Tacitum exarata Epistola ad Senatum de reprimendo luxu, quorum quidem lapidum causa ait pecunias ad externas gentes transmitti. Miror autem apud Liuium libro XXXIV cum accuratè agatur de ornamentis mulierum nihil proferri de lapidibus aut vnionibus. An tunc lapides, & vniones Romanæ mulieres prorsus ignorabant? id videtur affirmandum. habebant alia. sed ex oriente nondum lapides & margaritæ ad ornatum fuerant assumptæ. lubet autem recensere quæ ibidem referuntur de matronis Romanis sese magnificè ornantibus, qui ornatus interdictus eis fuerat lege Oppia antiquata demum, licet contradiceret Cato. in medio igitur ardore belli Punici Oppius tribunus plebis tulerat legem:* Ne qua mulier plus semuncia auri haberet: ne vestimento versicolori vteretur, ne iuncto vehiculo in vrbe oppidoq. aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. *Ita habuit lex Oppia. dum versicolor vestis memoratur, innuitur purpura, cum color proprius Romanorum esset albus. Ergò Cato in oratione sic loquitur nomine Matronarum*, vt auro & purpura fulgeamus, vt carpentis vectemur. *infra memorat denuo* aurum & purpuram. *Valerius, qui contra Catonem orauit, dixit vxores sociorum latini nominis* insignes esse auro & purpura, vehi per vrbem. *facit mentionem* amiculi purpurei, *vt intelligamus*

mus nō totas vestes purpureas. addit in luctu à Matronis nihil aliud quam aurum, & purpuram deponi. quod videtur ostendere mulieres in luctu vsas albis vestibus. vtitur autem Valerius argumento pro mulieribus petito à viris, vnde discere est, quam latè pateret vsus purpuræ apud Romanos. Purpura viri vtemur prætextati in Magistratibus, in sacerdotijs. liberi nostri prætextis purpura togis vtentur. Magistratibus in colonijs, municipijsq. hic Romæ in primo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendę ius permittemus. *vtebantur etiam* purpura in veste stragula. *equi quoq; videbantur insterni purpura aut saltem auri aliquid habere, nam ait Valerius*: & equus tuus speciosius instratus erit, quam vxor vestita?

De triplici statu Romanorum, inope primum, magnifico deinceps, demum luxuriæ obnoxio. Cap. III.

CVM *cuperet Fronto senator apud Tacitum II. Ann. cap XXXIII poni modum* argento, supellectili, familiæ, *contradixit Gallus Asinius, nam aucto imperio auctæ & opes. legenda tota oratio. obtinuit quod voluit ob honesta nomina, quibus vtebatur confitentibus reliquis vitia, cum auditores laborarent eadem culpa. Quæ sunt honesta nomina, quibus excusatur luxus, luxuria non reijcitur? magnificentia, vt videre est ibidem, & requies animi, nec non salubritas corporis. nonne hæc est honestas magna nominum? absq; dubio. sed facile est transire per eiusmodi nomina*

mina ad luxum, luxuriamq. An enim quia salubritas corporis, requies animi, & magnificentia decebat Romanos excusare fas erat apud eosdem villarum infinita spatia? *vt est videre in oratione Tiberij apud eundem Tac. in III. Annal. cap. LIII.* familiarum numerum & nationes? argenti & auri pondus? æris, tabularumq. miracula? promiscuas viris feminisq. vestes? *etiam Cato aliquis seuerus non contendisset, vt puto, hærendum in prima Romanorum inopia, simplicitate, ruditate; sed num transiliendum fuit ad luxum, qui cum posceret immensos sumptus ad scelera, rapacitatem, peculatum, & huiusmodi alia crimina impellebat? dixit bene Tiberius* si ambitione exhausérimus ærarium, sceleribus erit supplendum *de Principe, & Republica. de priuatis dixeris si rem familiarẽ superfluis sumptibus ad angustias redegerimus, à sceleribus paupertati erit implorandum auxilium. Tria autem occurrunt quando de luxu Romanorum agitur: inopia antiqua, magnificentia mediorum temporum à frugalitate non recedens magno interuallo, & immodica magnificentia luxui luxuriæq. obnoxia, postquam ab Asia luxus transiuit in vrbem. Non desunt, quæ videantur tam extrema duo, quam mediocritatem tueri. nam si de veteri inopia agatur, quantopere commendatur Fabricij continentia, & paupertas, vt & inopia Menenij Agrippæ? Persius ita:*

Aurum vasa Numæ, saturniaq. impulit æra.

Iupiter tunc lubenter exaudiebat Romanos, deinceps nõ ita æquus eos aspexit. videndus etiam Iuuenalis. Cato apud Liuium lib. XXXIV. Ego hos malo propitios deos & ita spero futuros, si in suis sedibus manere patie-

mur. *à veteri inopia transitum est ad diuitias & splendorem expugnatis Syracusis, Corintho, Athenis. hinc idem Cato:* quò melior lætiorq. indies fortuna Reipublicæ est, quò magis imperium crescit, & iam in Græciam Asiamq transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas & regias etiam attrectamus gazas. *videnda non absimilia lib. XXXIX vbi ait* luxuriæ peregrinæ originem ab exercitu Asiatico inuectam in vrbem esse. *Aduersus quæ sic forte quis disseruerit. fructus victoriarum is est, vt non hæreamus semper in eadem paupertate, & simplicitate rei familiaris, cum magno consensu statuæ & alia ornamenta illata fuerint vrbi. pretium victoriæ an non aurum est? immensa pecunia ex Macedonia allata in ærarium à Paulo Æmilio, vt de alijs taceam. Cui vsui huiusmodi metallum, si non emas, quæ ad mensas, vestes, domus, suppellectilem faciunt? adde balnea lecticas, & alia facere ad corporis sanitatem, vt ad salubritatem amplitudinem domuum non absq. porticibus, syluis, similibusq.. Quæ verò natio non deflexit à veteri inopia, & ruditate ad magnificentiam & splendorem obtentis victorijs? Persæ quam pauperes olim antequam inuaderent & occuparent Lydiam, reliquamq. Asiam cum Græcia De inceps quam splendidi in veste, in conuiuijs. Germani quoq. cum cœpiscent venire in Italiã sub Othone Magno auxere rẽ familiarem, elegantiæq. dederunt operam. Quid plura memorem? obijcere est exemplum Turcarum, qui origine Scythæ etsi longè lateq. cœperint regnare, à veteri tamen frugalitate non desciuerunt, quod imputandum sectæ Maumetis, quam profitentur, potius quã alij causæ, dum autem*

aliqui veterum Romanorum paupertatem laudant, id faciunt, vt facilius damnare queant luxum, cui tunc nimium obnoxia erat Roma. videntur ergò sapientes eò ferè rem deducere, vt Romanorum magnificentiam, qualis erat ante tempora Luculli, commēdent; reprehendant autem eius nimium modum, quem describit Tiberius in verbis à me prolatis, & quem non abnuerunt postea deponere, auctore præcipuo Vespasiano, de quo Tacitus Annal. III. cap LV. præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus, antiquo ipse cultu victuq. obsequium inde in principē, & æmulandi amor. *subijcit historicus, non omnia apud priores meliora. quo referenda controuersia de lege Oppia apud Liuium lib. XXXIX, quæ abrogata est propterea quod Annibal deseruisset Italiam. Lex enim illa lata fuerat ob sumptus qui faciendi erant in bellum. profligato autem eodem bello reditum est a matronis ad pristinum cultum, & ornatum. legenda & diligenter perpendenda oratio Valerij contra Catonem pro abroganda lege Oppia habita.*

De conditione temporum sub Traiano apparens contradictio conciliatur in Tacito. Cap. IV.

N*Escio an rectè simul hæc duo proferantur à Tacito in principio vitæ Agricolæ:* Non petissem veniam, incursaturus tam sæua & infesta virtutibus tempora. *Mox laudat seculum, in quo scribebat* vt beatissimum, *temporumq.* felicitatem *prædicat. in primo histor. sub Traiano memorat* raram temporum felicitatem. *Iu-*

uenalis quoq. de Traiano profert illa verba:

Et spes & ratio studiorum in principe tantum.
Solus enim miseras hac tempestate camœnas
respexit.

Plinius ait spiritum & vitam bonis artibus *à Traiano restitutam. Num ergò erant tunc saua adeò, & infesta virtutibus tempora. Quis talia inter se conciliauerit? puto dicendum laudari tempora, quibus scribebat, à Tacito, & felicia vocari, dum respiciebatur optimus princeps. Homines tamen illius aui multum adhuc retinebant de malignitate saculi domitianæi. hinc ait ipse in eodem principio:* Natura infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia, quam mala. ingenia studiaq facilius oppresseris, quã reuocaueris. *hæc ipse.*

Quædam ex principio vitæ Agricolę explicata. an Princeps habeat potestatem qualem habet paterfamiliâs? Cap. V.

A*D illustrandam præfationem siue principium vitæ Agricolæ, quo Tacitus deplorat temporum conditionem sub Domitiano, & felicitatem restitutam à Nerua & Traiano, legendus & perpendendus Panegyricus Plinij. verba Taciti describunt & designãt Domitianum Tyrannũ non tamen eo vocabulo vtitur. At iunior Plinius inquit:* Nõ de Tyranno, sed de ciue, non de domino, sed parente loquimur. *volebat enim dici dominus Domitianus imperans ciuibus tamquam mancipijs. Ergò apud Plinium, qui absolutum imperium exercet in ciues Tyrannus est. legitimo tamen modo videbatur successisse Domitianus. Ergò ideò fuit Tirannus, quia tamquam dominus se gerebat*

bat erga Romanos. idem ait : Neq. eadem secreto loquimur, quæ prius. Nec eadem de principe palam quæ prius prædicamus. *sub Tyrannis aliter loquimur palam, aliter secretò. de Traiano eadem quæ publicè, etiam secreto proferebantur. sed vix secretò licebat loqui sub Domitiano ob delatores. hinc Tacitus* : adempto per inquisitiones & loquendi audiendiq. cõmercio. *quæ videntur falsa. nam Domitianus in exiliũ egerat delatores, vt notũ est ex Suetonio, & ex Martiali. si verũ est quod ait Tacitus, nec secretò loquebantur Romani, quod tamen affirmat Plinius. respondendum est videri pulsos delatores, qui deferebãt vacantes hæreditates ex lege Papia Poppæa, non autem crimina Maiestatis. aut forte delatores semel pulsi, & in principio imperij Domitiani, regressi sunt progressu temporis, tandẽq. rursus inualuerunt secretò autẽ multi loquebantur sub Domitiano sed magno cum periculo. Qui autem cautiores erãt nec secretò loquebãtur apud Iuuenalẽ certè et Martialẽ qui cœnaturi erãt cũ ipsis monẽtur ne de rebus publicis, ad imperiũ facientibus sed de ludis circensibus & eiusmodi alijs loquantur. sub bono autẽ Principe eadẽ proferuntur & priuatim & publicè. hinc Seneca :* Eadẽ de illo homines secretò loquuntur, quæ palã *quando autẽ imperat Tirannus publica oratio est humilis, abiecta, decens seruorum non ciues liberosq homines. At priuatim deplorãt suã conditionem, dirisq. Tyrannicum deuouent caput. lubet autem quærere an nomen parentis, quod non semel tribuit Traiano tamquam bono imò optimo Principi Plinius, indicet Principem habere arbitrium omnium rerum, quale habet paterfamilias in sua domo? quod videtur affirmandum,*

cum parens et paterfamilias idem sit. Aristoteles autem docet in politicis Regem esse absolutum, qui imperat ciuibus vt parens & paterfamilias imperat familiæ. & tamen idē author non permittit Regi talem potestatem in ciuem, quam habet paterfamilias in domo sua. Respondendum est Principem appellari parentē à Plinio ob benignitatem, & singularem affectum, quo prosequitur ciues eorumq. salutem cordi habet. quod verò Princeps non habeat eam potestatem in ciues, quam habet paterfamilias in familiam (licet nec potestas œconomica sit absoluta, sed ciuilis & secundum leges) constat ex Aristotele. adde patremfamilias posse vendere, donare, dilapidare sua bona, domumq. ad paupertatem redigere: at Princeps non potest alienare ea quæ sunt imperij. Scimus etiam Principem Romanorum subfuisse ijs legibus, quæ fundamentum sunt Reipublicæ. nec sile diuersas esse species potestatis œconomicam, & ciuilem: ergò non sunt confundendæ, vt dicatur habere œconomicam, qui præditus est ciuili.

De Parlamenti apud Anglos origine, & potestate de causis belli, quod hodie apud eosdem geritur. Cap. VI.

DE regimine mixto in his diatribis cū agerem deq. comparatione Senatus cum Comitijs sermonem instituerem, mentionem feci Comitiorum Anglicorum, quibus Parleamenti nomen impositum, de eorum igitur origine, & auctoritate aliquid tradendum, vt intelligamus fuisse & esse instar Senatus, qui non patitur Reges, non populum extra

tra lineas transilire, ad ea quæ regnum euertere queant. initium igitur & auctorem eiusmodi comitiorum si quæras præstò est dicere manâsse ab Henrico primo. fateor ante Henricum quoq. Reges consueuisse populum consultandi causa conuocare, id verò fiebat perrarò. egit autē tā altas radices, vt deinceps quicquid ad rempublicam bene gerēdam eiusq. conseruationem deliberandum foret, illud ad concilium referretur: & si quid aut regis, aut populi iussu decretum factumq. esset, id totum pro nihilo haberetur, nisi eiusmodi concilij auctoritate esset comprobatum. ac ne imperitæ vulgi multitudinis, cuius proprium est nihil sapere, iudicio consilium impediretur, certa lege exceptum fuit à principio, qui ex sacerdotum coetu, quiue quotue ex reliquo populo vocari deberent ad consilium. videnda plura apud Polydorum Vergilium in Henrico primo. Thomas autem Smith vir doctissimus de eodem, vt vocat, Parlamento agit libro secundo, & deinceps. atq. statim in hæc erumpit verba: in comitijs Parlamentarijs posita est omnis augustę absolutæq. potestatis vis, *indicatq potestatem Regis potissimum emicare tempore belli, auctoritatem autem Parlamenti tempore pacis; cui tamen iussus Principis tamquam colophon accedit. More autem vetustissimo nationum factum scimus, vt reges multum possent in bello, cum ipsi potestatem haberent exercitum ducendi, proelium committendi & alia peragendi, quæ faciunt ad bellum gerendum. hinc regnum primis temporibus nihil aliud videtur fuisse, quam perpetua potestas ducendi exercitum, cum ad gerendum bellum videatur Ducis auctoritas necessaria. Tempore autem pacis noluerunt summam reipublicæ esse penes re-*

ges,

ges, si excipias curam sacrorum, qua de re legendus Aristoteles. de eodem porrò parlamento Anglorum non pauca disserit Franciscus Blondus libro primo bellorum ciuilium Angliæ in Ricardo secundo, vbi tradit quoscumq. Magistratus etiã summos regni solere à Parlamento puniri ob praua consilia data regibus, aut quod non dedissent salutaria. Narrat multa dissidia exorta fuisse, & exoriri quandoq. solere inter Regem atq Parlamentum eiusq. rei causas accuratè exponit. hac tempestate atrox bellum geritur inter Regem Carolum, & parlamentum, licet à Rege stent non pauci, ex quibus conflatur parlamentum. tempore Iacobi, qui fuit pater Serenissimi Regis Caroli, non leuia iurgia inter eundem, & Proceres exorta sunt, sed res non erupit in neruum. Cum verò ipse sciret consilia sua nequaquam procebus placere, non facilè conuocauit parlamentum, quod non nisi conuocante Rege potest conuenire. Mortuo Iacobo filius eius itidem abstinuit à conuocatione Parlamenti, ne sibi pateretur præscribi leges, aut fibulam imponi. interea non pauca instituit sua auctoritate, excogitauitq rationes conflandi pecuniam, quam profuse expendebat. Visus etiam multum tribuere Reginæ, quæ cum Catholica eßet, suspicio iniecta est multis ex proceribus forte immutãdam religionem à Rege, & paulatim si non ipso iubente saltem non repugnante Catholicam restitutum iri; cum præsertim Episcopi magnam auctoritatem exercerent in populum, & viderentur paulatim propius ad Catholicæ Religionis instituta accedere. Quæ omnia dedit operam Rex, vt transferrentur etiam ad Scotos. At ipsi ferociores Anglis, & iam inde ab initio à mutatione sacrorum facta magis abeuntes ab

Eccle-

Ecclesiæ Romanæ dogmatibus ac præsertim ritibus; non dubitarunt iussis Regijs obstrepere, ac tandem etiam reluctari adhibita quoq. vi, vnde initium belli extitit arreptis armis. Cui cum non posset occurrere Rex absq suppetijs, quas impetraret à Parlamento Anglico, idem illud conuocauit, quæ conuocatio in maiores conuocatorem coniecit difficultates. proceres enim gauisi se tandem coiuisse iussu Regio multa cœperunt petere à Rege, multa agere iuxta veterem Parlamenti auctoritatem. Accusarunt Proregem Hyberniæ, quod conatus inuehere absolutam auctoritatem Regis, dedisset operam, vt Parlamenti potestas, & mos conueniendi prorsus tolleretur, eoq. eiusmodi accusatio deducta est, vt tandem accusatus volente nolente Rege capite plecteretur. quod supplicium dici non potest quantopere animum Regis offenderit, adeò vt mox conatus fuerit mortem hominis sibi carissimi vindicare, nonnullis ex proceribus in carcerem coniectis. exarsit ad hoc factum populus Londinensis, arripuitq. arma in contemptum Regis, qui videns quotidie suam Maiestatem magis lædi, minui, & prope funditus euerti, excessit Londino, exercitumq. conflauit. proceres etiam nequaquam sibi defuerunt. hinc extitit ciuile bellum, quod vario euentu gestum, donec visus sit Rex deteriori conditioni fieri obnoxius, in qua hodieq. hæret non absq. detrimento publicæ salutis. Victoria namq. non semel à Parlamentarijs copijs obtenta multum pecuniæ, tormentorum bellicorum, commeatus venit in potestatem Procerum. ijdem portus munitos, vrbes expugnatu cæteroqui difficiles, arces, oppida obtinuerunt, vt videatur Rex forte adigendus ad duras pacis, de qua ineunda agi-

tur subinde inter partes, conditiones. quæ perstringere lubuit, cum multum faciant ad intelligendam potestatem Regum absolutam, aut legibus adstrictam, cumq. ex ipsis discamus verè dixisse Tacitum constitutam Rempublicam ex tribus speciebus non esse diuturnam, quod non profert de toto interitu, sed de vicibus, & vicissitudini, cui obnoxium eiusmodi regiminis temperamentum, quod suo loco cum ageremus de verbis Taciti sanè difficilibus, breuiter diximus.

IN TACITVM DIATRIBA QVINTA

Quare Romani non possent ferre totam libertatem? Cap. I.

MIRVM à Galba dici non posse à Romanis totam libertatem ferri. Quid enim dulcius libertate? quid magis facit ad naturam hominis ratione præditi seq. ipsum regere apti? Bene tamen pronunciauit Galba. Cum enim populus Romanus posset coire, & comitia habere, qualibus turbis vniuersa Respublica exponebatur? Quanta etiam erat plebis petulantia? freta namq. tribunis suis, qui violari non poterant, obstrepere frequenter non

dubitabat Consulibus, senatui. exuberās etiam libertas ale bat dissidia inter potentissimos ciues, cum omnia occupata fuissent ab ambitu, populo vendente palam suffragia. Ergò non aliud discordantis patriæ fuit remedium, quam vt vni pareretur, incolumi tamen imò aucta Senatus auctoritate. Tota autem libertas hoc est plena facultas agendi quod luberet, quā pollebat populus Romanus, sublata fuit sublatis comitijs, sublato more conueniendi per centurias, & eiusmodi comitijs in Curiam translatis. Nec enim salua esse poterat Respublica non sublatis comitijs nimiam libertatem fouentibus.

Ex tragico exitu Commodi, Heliogabali, Domitiani, Antonini Caracallæ colligitur Romanos non potuisse ferre totam seruitutem. Cap. II.

A*Mplius exponendum est & docendum Romanos totam seruitutem ferre non potuisse. Narrat Herodianus in Commodo qua de causa ipse ab intimis & familiaribus fuerit interemptus, quia scilicet constituerat Martiam, Lætum, Electum & ingentem numerum eorum, qui plurimùm auctoritatis in Senatu obtinebant, interimere. Martia igitur carissima Concubina, Lætus præfectus exercitibus, & Electus cubiculi custos tantam stragem occuparunt, infantimq. Imperatorem è medio sustulerunt, dederuntq. operam vt vir optimus & fortissimus Pertinax eligeretur. vides quid tunc præstantissimi inter Romanos sentirent. sic certè sunt allocuti Pertinacem peracto facinore:* Iacet Ty-

tan-

rannus, debitasq. luit pœnas: ea passus à nobis, quæ in nos facere moliebatur. *subijcit intellecta morte Commodi repente populum vniuersum lymphato similem ebacchari, & discurrere per vias cœpisse, & lætabundos omnes renuntiare pro se quisq amicis. ibant igitur ad templa & aras dijs gratulatum, alij alia vociferantes. quidam, iacere Tyrannum, pars gladiatorem, nonnulli etiam his fœdiora. hæc & plura ibi Herodianus. Idem historicus narrat Heliogabalum constituisse Alexandrum eiusq. Matrem interimere. hoc cum intellexissent milites, acclamarunt Alexandro, quos occidere cogitabat idem Heliogabalus, sed detecto consilio interemptus est, cum antea eum ijdem milites admodum odissent fœdissimum Principem. de exitu tragico Domitiani quando loquitur Iuuenalis, ait eum perijsse* Lamiarum cæde madentem, *hoc est exercentem crudelitatem in nobilissimos Romanos. dices, etiam bonos imò optimos Imperatores interēptos, cum constet occisos Pertinacem, & Alexandrum. Non ergò à cæde colligendum aliquem fuisse Tyrannum. Respondendum est à furiosis & petulantibus militibus disciplinam ferre nolentibus laudatissimos Principes è medio sublatos, quod diserte historici atq. inprimis Herodianus nos docent; apud quem scriptorem etiam legere est gratissimam fuisse Macrini Epistolam, quam ad senatum exarauit de occiso Antonino Caracalla. vt enim omnes sibi metuebant viuo Antonino, sic eo sublato in magnam sunt effusi lætitiam. Ergò Senatus auctoritas eiusmodi in re ad approbandos, aut etiam reijciendos Principes plurimum faciebat.*

Quatenus S. Petrus commendet Regiam potestatem eiq. censeat parendum. Cap. III.

Parendum esse Principi & Regi legitimo etiamsi tyrannicè se gerendo euaserit Tyrannus, aliqui probare satagunt ex verbis Diui Petri in secunda Epist. II. cap. vbi reijcit falsos vates, & sectarios dominationem contemnentes. *Magis clarè loquitur in eandem rem Epistola prima capite secundo*: subiecti igitur estote siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus, tamquam ab eo missis *& infra*: deum timete, Regem honorificate. serui subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. *Hæc non video facere ad reges absolutos. sectarij illorum temporum putabant, non parendum Regibus. non loquitur igitur de Tyrannis, quod autem de dyscolis dominis traditur, id ineptè transfertur ad Reges, cum imperium Regium sit ciuile siue politicum, domini autem in seruos habeant herilem dominationem, eosq. etiam vita spoliare possint. Sanctus ergò Petrus in genere laudat Regiam potestatem, an verò ipsi absoluti sint, & nos debeamus ferre totam seruitutem, de hac re nihil ipse promit. Ne dicam difficile admodum esse pronunciare, quando Rex incipiat esse Tyrannus. parendum interim illi est.*

Quare aliqui ex recentioribus scriptoribus doceant Regem, qui legitimo modo adeptus est Regnum, non posse auadere Tyrannum? Cap. IV.

AD explicandam magis ac magis differentiam inter Reges absolutos, & secundum leges, quærendum fuerit, quid impulerit multos ex recentioribus scriptoribus, vt assererent Principem, & Regem, modo legitimo modo adeptus sit eiusmodi dignitatem, numquam posse dici Tyrannum: ob Tyrannica, in quam, facta, Tyrannicam regni siue Principatus administrationem nequaquam excidere suo iure, neq. existimari aut esse posse Tyrannum ei proinde parendum, iussa eius non spernenda. Tacitus tamen Tiberium qui legitima ratione videbatur adeptus imperium, inter Tyrannos recensuit in sexto Annalium cap. VI num. 2. Neq. frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus. *Ergò ob facinora existimauit aliquem euadere Tyrānum. disertissimè etiam tradidit Aristoteles Principem siue Regem dici legitimum quod volentibus imperet, Tyrannum quod nolentibus. adijcit ex Tyranno hoc est inuasore regni posse fieri legitimum Principem, si sic se gerat, vt bonis factis efficiat ex nolentibus volentes. Ergò si sic ipse rem gerat, vt ex volentibus reddat nolentes, erit Tyrannus. Quid memorem Romanos, apud quos tamquam Tyranni occisi sunt, damnata eorum memoria ob mala facta Caius Caligula, Domitianus, Commodus, Antoninus Caracalla*

calla, Heliogabalus, Maximinus. Nero proscriptus tãquam hostis reipublicæ à Senatu, certior factus eiusmodi proscriptionis sibi manus intulit. Nemo sanæ mentis infitias iuerit eos meritò à Romanis habitos pro Tyrannis, & vt tales interemptos. Quid respondendum eiusmodi in difficultatate, cui grauitatis inest plurimum? dicendum est recentiores existimare Reges esse absolutos, & habere arbitrium absolutum omnium rerum, quale genus regum putauit Aristoteles esse quintum, à se tamen improbatum. si ergò affirmes Reges esse absolutos, vix dices posse euadere Tyrannos, nam quicquid egerint, semper fas erit asserere eos vti potestate sibi competente & conueniente, propterea quod ligitima ratione ad eiusmodi peruenerint fastigium. Galli profectò, qui sequuntur Bodinum, scriptorem iure meritò à multis in rebus grauibus reiectum & reprehensum, aiunt Reges suos absolutos esse, nullaq. lege cogi posse & intra angustias compelli. Idem ferè Hispani Castellani de suis affirmant Regibus. Non ita Arragonij de suis. Gothalauni ausi sunt arma sumere aduersus Philippum Quartum, quod nollent suas prærogatiuas impositis militibus violari. Lusitani autem electo nouo Rege in eiusmodi electione edixerunt, totius Reipublicæ Lusitanicæ siue ordinum regni esse exortâ controuersia de successione sententiam ferre, & iudicium facere, atq. idem ius esse eorundem ordinum, si Rex electus male rem gerendo se eiusmodi dignitate indignum reddiderit. de regibus Poloniæ, Magnæ Britanniæ, de ipso quoq. Germanorum Rege siue Imperatore Romanorum dicere nihil attinet. ex quibus intelligere est recentiores scriptores in re maximi momenti nequaquam sentire cum Arragonijs,

Gothalaunis, Lusitanis, Anglis, Polonis, Germanis: ut sileam de antiquis Græcis, de quorum regibus egit summus Philosophus Aristoteles, taceamq. de Romanis veteribus, qui Tarquinium superbum tyrannicè se gerentem Regno deiecerunt, aliquot autem Imperatores ob tyrannica facta occiderunt, ignari absolutorum Regum, non ferentes aut totam seruitutem, aut totam libertatem.

Cur Galli absolutè negent Regem posse occidi? Cap. V.

ABsolutè pronunciant scriptores Galli debere nos detestari eos, qui audent dicere fas esse Regem occidere. nam si ita sentire liceret, in periculo versaretur Regum vita, à qua pendet totius nationis incolumitas, cum homines leues & furiosi possent existimare fas sibi esse violentas Regi inferre manus. quod docent duo lacrymabilia Regum exempla, Henrici III & IV. Adducitur ad damnandos scelestæ doctrinæ auctores, Concilij generalis Constantiensis auctoritas. Sed quid respondebimus proferentibus exempla Romanorum, qui Imperatores tyrannicè se gerentes interemerunt? An damnabimus eos, qui Caligulam, Domitianum, Commodum similesq. vita exuerunt? Respondendum est, existimare Gallos suos Reges esse absolutos, absoluta in populum potestate præditos. Non ita sentiebant Romani. disertè enim Galba: Imperaturus es hominibus, qui nec totam libertatem, nec to-

tam seruitutem ferre queunt. *Quod forte tradere fas est ex conspiratione Senatorum facta aduersus Romulum, quem aliqui oppressum in Curia, quod absolutè vellet imperare, & videretur senatum contemnere, referunt. Annon verò clarissimus Philosophus Apollonius indicauit se versari in ea sententia, vt tota seruitus non feratur, cum degens Ephesi edoctus ab aliquo forte Genio tunc occidi Domitianum hostem philosophorum, & philosophiæ, exclamauit:* percute, percute, *approbans facinus Stephani interimentis Domitianum?*

IN TACITVM DIATRIBA SEXTA.

Successoris plerumq. diuersi mores à moribus decessoris. Cap. I.

VT obnoxium libertis & uxoribus nobis describit Claudium Tacitus, cui propterea facilitatem, non exiguum sanè vitium in imperante, tribuit. At Neroni fuit ingenium nequaquam infra seruos, teste eodem historico. hinc danda opera est scribenti, aut legenti historias, vt obseruet plerumq. fieri, vt à decessoris moribus procul abeat successor, & diuerso sit praeditus ingenio. Augustus fuit mitis, aditu facilis, à

crudelitate, & effundendo sanguine abhorrens. Tiberius superbus, crudelis, imperiosus, in sermone ambiguus. idem Tiberius fuit inaccessus & impenetrabilis, secretiq. tenacissimus Caius autem monstrum extitit non homo, insanus, furiosus, palam bacchans & bacchas imitans. Titus tam benignus fuit, & beneficus, vt delitiæ humani generis dici meruerit. Domitianus autem inuidus, maleficus, sæuus, adq. perdendos Romanos propensus. Nec soli mores conferendi, sed & alia. Domitianus quindecim annos imperauit. annuum fuit imperium Neruæ. at diuturnum Traiani. Traianus nequaquã doctus, doctis tamen impensè fauens. Hadrianus doctissimus, nec sẽper doctis fauẽs.

An iuuenibus committendum imperium? Cap. II.

A*Nnal. VI. cap. XLVIII. vatis in morem ait Aruntius vir magnus sæuiturum Caium, peioremq. fore Tiberio. difficillimum namq. eße iuenem non impelli ad scelera cum flexus fuisset Tiberius rerum vsu instructissimus.* An cum Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis conuulsus & mutatus sit, C. Cæsarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritũ meliora capessiturũ Macrone duce. *Expendenda vita Commodi, & suprema verba Marci patris. Summopere commendatur Nerua, qui Traianum iam virum, & experientia instructum adoptauit contemptis ijs, quos habebat sanguine iunctis. cogita etiam exitum Heliogabali, nam exemplum Alexandri Seueri est prorsus singulare. recense Neronem. Ergò Plinius in Panegyrico mirificè*

com-

commendat Neruã, qui ad adoptionem confugerit. Adde Aristotelis auctoritatem qui lib. III. cap. XV si quis autem ponat optimum esse à regibus gubernari, quomodo fiet in filijs? *si quis dicat Regem non relicturum filijs regnũ, si non sint boni, respondet vix ipsi ea in re habendam fidem, est enim supra conditionem virtutis humanæ positum, filios non bonos excludere regno.*

Num inter malos Principes recensendus Claudius? Cap. III.

D*E Claudio sunt verba Taciti lib. XII. Annal. cap. LIV.* Claudius sæuissima quæq. promere adigebatur eiusdem Agrippinæ artibus. *Quid memorem libertos Pallantem & Narcissum? Num horum causa recensendus inter malos Principes Claudius? vix asserueris, cum Tyranni suopte ingenio praui & malitiosi. Non ita Claudius adde eum relatum in numerum diuorum. respondendũ est si facta respicias, & damna ciuium effusumq. sanguinẽ exiguam esse differentiam inter ignauiam Principis cum facilitate coniunctã, qua fit, vt sæuiatur in miseros ciues ab ijs, qui vtũtur Principis nomine, & inter eiusdẽ crudelitatẽ proprio pectori inhærentem. vix igitur exemeris Claudiũ numero Tyrannorum ob magna scelera patrata à libertis, quos ipse amabat & tuebatur. Fateor relatũ inter diuos, sed vix id factum ex tota senatus sententia, nam Agrippina postquã Neronẽ tãquã Cæsare produxit, vt tegeret scelus in maritũ commissum eum voluit affici cælestibus honoribus. Etsi ergò obtinuerit, vt diuus appellaretur Claudius, vix tamen id lenti senatui tribuendum.*

Tra-

Traianus, quod miscuerit regimen, & sociarit principatum libertati, laudatur à Tacito. Cap. IV.

CVR *Tacitus* principatum & libertatem res olim dissociabiles *vocauit? Ergòne Traianus primus miscuit? primusne bonus Princeps apud Romanos? Quin imò de more Romanorum dixit Galba eos non posse ferre aut totam libertatem, aut totam seruitutem. Quid etiam sibi vult illud dissociabile? an dissociatum siue seiunctum? aut quod non posset, aut admodum difficulter posset coniungi? Principatus namq. sic gerebatur, vt omni libertate spoliarentur ciues, & ipsis sic imperaretur, vt domini iura dant seruis. respondendum est, illud* olim *potissimum ad imperium Domitiani, qui quindecim annis vexauit Romanos, referendum. sub Galba, Othone, Vitelio res ad anarchiam potius, quam ad seruitutem flexa est; sub Tito, Vespasiano, Augusto visa sunt sociari principatus & libertas; dissociari sub Nerone, Caio Caligula, Tiberio, atq. Claudio obnoxio vxoribus & libertis præpotentibus & rapacibus. forte autem Tacitus laudauit coniunctum principatum libertati primum sub Traiano, quod Vespasianus senex peruenerit ad imperium, Titus citò mortuus fuerit; Galba, Otho, Vitellius vix fuerint Principes, Augusti tempora iam ferè obliuioni fuissent mandata propter diuturnam crudelitatem Tiberij, succedentibus ipsi malis Principibus Caio, Claudio, Nerone. aut quod am*

bigua

bigua fuerit conditio ciuium Romanorum sub Augusto, qui non peruenit ad principatum absq. effusione multi sanguinis, dum geritur bellum ciuile. sic ergò dixit Tacitus mixtum regimen inuectum à Traiano, quem propterea maximè commendat. vbi nunc sunt, qui absolutam dominationem vt optimam extollunt?

De potestate Principum Romanorum tempore belli, & tempore pacis. Cap. V.

VT cuncta ad vnum redigerentur, necessitas visa est postulare imperandi exercitibus. Cum enim latissimè patente imperio non posset aut vix posset vnquam deesse hostis populo Romano, par erat vt præstò semper esset qui imperitaret exercitibus. nam periculosum erat singulis annis creare nouos Consules, eosq. mittere ad regendos exercitus reuocatis exconsulibus. de nomine porrò Imperatoris, & quod respiceret militiam & exercitus, sunt verba Taciti III. Ann. cap. LXXIV. Tiberius Blæso tribuit, vt imperator à legionibus salutaretur prisco erga duces honore, qui bene gesta Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur. erantq. simul plures Imperatores, nec super cæterorum æqualitatem. concessit quibusdam & Augustus id vocabulum, at tunc Tiberius Blæso postremum. *dignitas porrò imperatoria, quatenus præest exercitibus, vetustissimum morem nationum sapiebat, vt haberent exorto bello qui regeret copias. Prope igitur*

inane

Inane videbatur esse nomen imperatoris, qui Romæ hæreret, & per alios gereret bellum. Boni profectò Principes apud Romanos & gloriosum nomen adepti otium vitarunt, ad externas gentes se contulerunt, ignaui autem & Tyranni vix se passi sunt abstrahi vrbe, vt voluptatibus fræna laxarent. de bonis Principibus videnda vita Vespasiani, imò Augusti, Traiani, Adriani, Antonini Pij, Marci, Septimij Seueri, Alexandri Seueri. de Malis recognoscendi Domitianus, Commodus, Heliogabalus, Nero, Caius Caligula. hinc etiam factum vt Prætoriani sub bonis Principibus ciuibus non fuerint molesti, disciplinæ seueræ obnoxij. At licentiam magnam arripiebant ijdem sub malis Principibus, adeo vt difficile postea esset ad veterem modestiam eos reuocare. vide quæ gesta sunt post interitum Commodi, & Heliogabali. Ideò profectò interemptus Ælius Pertinax, quod ad priscam seueritatem reuocare Prætorianam militiam satageret. Sed frustra fuit: sed si proprium fuit munus Principum Romanorum regere exercitus, quid agendum illis erat tempore pacis? quandoq enim conquiescebant externi, tranquillitasq affulgebat Romanæ potentiæ. Respondendum est, tunc Imperatorem habuisse potestatem magnam veluti Pontificem Maximum in regendis sacris, vt vetustissimis Regibus cura sacrarum demandata erat. Erant etiam Principes tribuni plebis, hinc quando aliquis renunciabatur imperator, & ei conferebatur arbitrium rei Romanæ, dicebatur succingi tribunitia potestate, quod deductum ab Augusto, qui dicitur fecisse consortem tribunitiæ potestatis Tiberium,

vt

ut caput esset plebis Romanæ, & ciues tueretur; nec enim placuit Augusto assumere nomen dictatoris, quod pater dictator perpetuus interemptus fuisset. Tribunitiæ porrò potestatis fit mentio etiam sub Nerua & Traiano; sic enim Plinius in Panegyrico: Simul Cæsar, mox imperator, & consors Tribunitiæ potestatis & omnia factus es.

De more Taciti in memorandis viris doctrina claris. Cap. VI.

Historicorum est sub finem annorum, antequam transeatur ad narrandas res sequentis anni, memorare obitum insignium virorum, quorum non est facta mentio in historia, quod non sese obtulerit occasio quicquam de ipsis promendi, cum non omnes viri egregij pars sint eorum, quæ traduntur ab historicis, si præsertim agamus de viris doctis, & sapientiæ professoribus. Guicciardinus tamen, Iouius, & alij non eos memorauerunt. At Tacitus sibi faciendum putauit, ne talia lumina præteriret; Annalium namq. III. cap. LXXV agit de obitu Capitonis Ateij, & Labeonis Antistij insignium Iurisconsultorum. Eiusmodi morem Taciti sanè præclarum secutus est in sua historia Iacobus Augustus Thuanus, cui plurimum debent celebres doctrina viri, qui nostra & superiori ætate floruerunt: Inserti namq. tanto operi historico, quod complectitur res toto orbe gestas, non facilè delebuntur, quin clari ad seram peruenient posteritatem à tanto scriptore dicti.

IN TACITVM DIATRIBA SEPTIMA.

De Ateio Capitone adulante turpiter Tiberio. Cap. I.

QVI sapientiæ dant operam, & studijs clari euaserunt, si peccent, magis vituperantur, quod succincti præceptis sapientum aberrent à recta ratione. Iuuenalis:

omne animi vitiũ tanto cõspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Nam turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. hinc inuehitur Tacitus in Egnatium stoicum philosophum,

quod

quod accusasset & perdidisset Baream discipulum suum. reprehendit etiam Demetrium Cynicum, quod suscepisset defendendum defensione indignum. de Capitone clarissimo Iurisconsulto idem historicus: Capito insignitior infamia fuit, quod humani diuiniq. iuris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestauisset. *Non silendus Anaxarchus, qui promouit sua eloquentia insaniam Alexandri cupientis referri inter Deos, antequam moreretur, & valde obfuit generoso Callistheni, qui ob libertatem philosophicam interfectus est. decet enimuerò generosos sapientes candor; decet libertas cum prudentia coniuncta. quam verò turpe est si vtilitatis causa adulentur principibus, & ipsis crudelia suggerant consilia.*

Asserta fama Labeonis Antistij contra Horatium. Cap. II.

ASserit famam Labeonis Antistij insignis Iurisconsulti Tacitus aduersus Horatium, qui insaniæ eum postulauit & accusauit in suis versibus, quod contradiceret quandoq. Augusto. eodem morbo laborasse aliqui dicunt Callisthenem, qui noluit se morigerum præbere Alexandro Magno. Quid referam Thraseam, qui renuit acclamare Neroni insanienti in theatro? propterea mori coactus est. dicet aliquis, videri reprehensum Callisthenem ab Arriano, & forte Thraseam à Tacito, dum ait quosdam voluisse inclarescere ambiciosa morte. sed tam Labeo, quam reliqui duo incorrupta gaudent fa-

ma apud scriptores non obnoxios. nam ex ijs quæ à me recensita sunt ex antiquis elucet in vita Alexandri innocentia Callisthenis, licet forte liberior fuerit in loquendo, quam ferret conditio Regis, in quem inciderat. Labeonem defendit Tacitus dum ait: Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior. *vides præferri Capitoni, qui turpiter est adulatus Tiberio. Cui autem potius fidem habebis, Horatione accusanti, an Tacito laudanti? Tacito credam historico, cum præsertim Horatius scriberet viuo Augusto vt ei blandiretur. de Thrasea superfluum est loqui, cum eum summopere commendet Tacitus. non igitur loquitur de ipso, quando agit de ijs, qui ambitiosa morte voluerunt inclarescere.*

Perpenditur ratio numerica in successione Cæsarea. Cap. III.

C*VM apud Tacitum duodecim ferè primores Im*peratores *aut enarrentur diligenter, aut saltem innuantur, non ab re erit eorum successionem secundum rationem numerorum, quæ non est prorsus contemnenda, perpendere. præmittendum autem numeros rei malæ, aut saltem sua natura non bonæ, & aliquatenus violentæ non exigendos ad consuetum modum, qui in numeris bonus est, vel non bonus, cum res mala videatur vim suam exercere in numero non bono, vt apud Romanos quando sacrificabatur Plutoni, Diti, Proserpinæ, litare & reperire exta fausta malum erat, vt est*

apud Suetonium in vita Othonis. primus igitur numerus in Iulio Cæsare exercuit suam vim quatenus tandem arbiter omnium rerum factus est, sed exitus eius ostendit primum non esse numerum, & Principatui inesse aliquam saltem violentiam. loquor de Romanis, apud quos vigebat libertas. secundus numerus, qui cæteroqui infaustus est, valde auspicatus fuit in Augusto, quandoquidem tandiu imperauit: vim autem malam non admodum exeruit secundus numerus, quatenus à crudelitate abhorruit idem Augustus, & multum retinuit de popularitate: tertius numerus fuit prorsus ominosus Romanis, fauitq. multum Tiberio, cum valde diu imperauerit & quidem crudeliter, licet Romanis valde inuisus fuißet. Numerus quartus cæteroqui non bonus efficax fuit in Caligula, qui perditissimus, & furiosus extitit Tyrannus. Quintus Claudius nec extitit bonus, nec malus suopte ingenio, sed passus sibi imperari ab vxoribus & libertis fuit perniciosus. En tibi quintum numerum. succedit sextus, quem cum appellet Tyrannum Galenus & cum Galeno Medici detestentur, quid non patrauit scelerum in Nerone? sed fuit etiam perniciosus generi non bono, & Cæsareæ successioni, quandoquidem ipse obijt absq. filio hæredeq. relicto, cum ne quidem vllum adoptauerit: Meritò, quandoquidem deiecto, & etiam occiso Britannico, cui debebatur imperium, dignitatem summam fraude matris inuasit, de reliquis numeris dicere iam nibil libet.

An & quatenus mali Principes ferendi sint, vt sterilitates & nimij imbres feruntur.

Cap. IV.

APud Tacitum in IV hist. cap. LXXIV. à ducè Romano Ceriali monentur prouinciales, & externi populi, Treueri & Lingones, quibus iugum Romanum graue admodum erat, vt malos Principes ferant, quemadmodum feruntur sterilitates, nimij imbres, cætera naturæ mala, quæ mortalibus immittuntur. Id si verum est, & rationi consentaneum, cur ipsi Romani non poterant ferre totam seruitutem, vt ait Galba, quæ inferebatur à malis Principibus? cur, vt hostem Reipublicæ proscripsit Senatus Neronem? cur quidam Romani damnarunt memoriam Tiberij, occiderunt Caium, Domitianum, Commodum, Heliogabalum, Antoninum Caracallam? respondere forte licet, quod à Romano duce profertur ad externos & prouinciales, non esse transferendum ad Romanos; nam beneficio & voluntate ipsorum imperabant Principes. Ergò par non erat totam seruitutem ipsis imponi, & absolutè regi. at peregrini siue externi & prouinciales victi & domiti populi Romani armis videbantur esse obnoxij absolutæ potestati, nec repugnare posse ijs, quæ sibi à Principibus & Romanis imponerentur. dici etiam potest, quod de ferendis malis Principibus, vt feruntur sterilitates, profertur, posse

forte etiam ad Romanos transferri, cum satius videatur esset habere Principem qualemcumq. etiam Tyrannum, quam nullum. Tyrannis namq. species est Reipublicæ, licet sequior, aliqua tamen: at si tollatur Princeps, facile incidere est in confusionem, in bella ciuilia, in anarchiam, qua nihil perniciosius populis contingere potest. Romani igitur paruerunt Tiberio licet gementes, paruerunt Domitiano, qui quindecim annorum spatio obsuit vrbi & populo. Fateor ganisos quando tales mali Principes, aut mortui sunt, aut occisi, cum proximè tolleratum malum non posset non exprimere ipsis gaudium sublatis tantarum calamitatum auctoribus. Sed quæ mala consecuta sunt extincta stirpe Cæsarea, exorto funesto bello ciuili, quo tempore Romani ferè carentes Principe maiora forte mala perpessi sunt, quam cum imperaret Tiberius, Nero.

An consensus totius Nationis in approbanda aut reijcienda aliqua regiminis forma exceptioni sit obnoxius? Cap. V.

APud Tacitum cum asserat Galba Romanos totam nequaquam ferre posse seruitutem, & asseruerit disertè magnus Stagirita Tyrannidis esse argumentum si quis nolentibus imperet, videmur inde colligere posse consensum alicuius nationis & populi in reijciendo vel suscipiendo aliquo regimine numquam esse iniustum, iniquum, & rationi non consentaneum, cum causa aut saltem signum legitimi regiminis sit populi voluntas, ille-

gitimi & iniqui contradictio eiusdem & auersio ab eadem reipublicæ forma. Hinc porrò dicimus vix videri accusari posse, vt ambitiosos, & immorigeros ordines alicuius prouinciæ quando putant reluctandum, & adhibendam vim ad tuenda iura nationis; sic conspirarunt olim Belgæ omnes contra Cæsarem Germanum; ducentorum annorum spacio repugnarant Romanis, saltem numquam in vniuersum omnes ipsorum sunt amplexi potestatem. Gandaui etiam, quo tempore Iohannes Austriacus se contulit in Belgium, consenserunt omnes Belgij prouinciæ, vt peregrini milites tamquam nimium graues, discederent quinque & quatuor abhinc annis contigit voluntas apud Gothalaunos, et Lusitanos plerisq. omnibus idem sentientibus. An propterea culpandi? viderint rerum ciuilium periti. Nam etsi voluntas totius populi videatur legem scribere iusto regimini, non tamen semper res erumpit in apertam sententiam, nec semper putant, qui prudentiores sunt, innouandum, vt vitentur maiora mala, seu quia difficultatibus magnis res est inuoluta. Existimant ergò ferendum tantisper, quod commodè emendari nequit. Non enim semper quod iustum est & rationi consentaneum impetratur. hinc historiæ nobis exhibent cumulum diffidiorum inter Reges & populos, quorum is fuit euentus, vt quandoq. populus vicerit, quandoq. succubuerit, sublatis funestum in modum, & publico supplicio proceribus, publicatis & in fiscum redactis multorum bonis.

IN

IN TACITVM DIATRIBA OCTAVA.

Nomine seruitutis quid apud Tacitum intelligatur in verbis Galbæ? Cap. I.

MIRETVR *aliquis Galbam apud Tacitum dicere Romanos non posse ferre to*tam seruitutem. *Ergone amabant si non totam saltem dimidiam seruire seruitutem? serui igitur gaudebant esse, cum seruorum apud Iurisconsultos nulla sit differentia. Nec potest fieri, vt qui seruus est, sit liber, suique iuris liberi autem homines erant Romani. Ergo nec totam nec dimidiam seruitutem ferre poterant. Respon-*

den-

dendum est, seruitutem apud Tacitum accipi late non pro statu & conditione seruorum, sed pro obedientia & subiectione. seruire namq. non semper significat obire munus serui, sed frequenter accipitur pro subesse, dare operam. ita seruimus laudi atq. existimationi alicuius seruimus patriæ defensioni, culturæ amicitiæ. hæc & alia nequaquam seruorum significant ministerium, Ita & seruitus denotat actum parendi. Rectè ergò inquit Galba Romanos non posse ferre absolutam subiectionem, nec velle sibi à quoquam pro lubitu, absq. legum limitibus & absolutè imperari.

Num nomine Regis S. Petrus intellexerit Imperatorem? an apud Tacitum Principatus quandoq. significet Regnum? Cap. II.

Q*Vando S. Petrus in suis Epistolis dixit:* Regem honorificate, *& obedite Regi, siue duci ab eo misso, an locutus est de Imperatore? quod videtur affirmandum, absq. dubio enim illi, ad quos scribebat erant in imperio Romano, cui præerat imperator. Ergo nomine Regis intellexit imperatorem. Certe posteriora tempora eundem Imperatorem Romanum græcè loquendo vocarunt βασιλέα Regem, cum præsertim Princeps Romanorum verè esset Rex, vt scribit Appianus in præfat. Rom. hist. cuius hæc sunt verba :* & sic in hodiernum diem vni omnia parent : quem non Regem dicunt, propter religionem opinor iurisiurandi vete-

ris, sed Imperatorem nominant: quæ appellatio communis est eorum etiam qui ad certum tempus præsunt exercitibus, sed reuera omnino Reges sunt. *hæc ille. Cum itaq. imperator, si potestatem & rem ipsam spectes Rex esset, mirum non est, si S. Petrus scribens præsertim Græcè; apud quos non est nomen, quod propriè describat Principes, dixerit:* Regem honorificate *hoc est imperatorem; cum præsertim Tacitus dum dixit:* Principatum & libertatem *olim dissociabiles fuisse, videatur nomine Principatus intellexisse etiam regnum Romanorum veterum, quod sublatum est instituto consulatu. Quid iam respondendum? cum S. Petrus scriberet in Orientem, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam lubenter vsurpasse nomen Regis, vt notius orientalibus, quam esset nomen imperatoris. At inquies, tunc Oriens vix vllum habebat Regem. Ergò nomine Regis S. Petrus intellexit imperatorem. respondeo & dico, Orientem tunc non prorsus videri caruisse Regibus. Quod si ex prouincijs scripsisset Romam, certè nomine Regis intellexisset Imperatorem. cum autem scripserit in orientem, si prouinciæ illæ quas nominat tunc carebant Regibus, necesse est dicere nomine Regis à S. Petro intellectum imperatorem.*

An detur legitima Tyrannis? Cur Augustus non restituerit libertatem? Cap. III.

Quaro an detur legitima Tyrannis? videtur negandum, nam Tyranni est nolentibus imperare, vt tradit Aristoteles. At nequaquam potest esse legitimum nolentibus imperare, cum à regimine debeat abesse violentia. Respondendum nihilominus est, dari quandoq. legitimam Tyrannidem, quæ tunc assumit nomen regni aut Principatus. Nam Syracusani cum viderent se dissidijs obnoxios, ad tollendam discordiam, elegerunt Regem Hieronem, qui reluctabatur electioni, tandem tamen vt prodesset suis ciuibus cessit eligentium voluntati. Ergò in historijs quandoq. Rex, quandoq. Tyrannus appellatur. Tyrannus est dictus quod repugnaret moribus Syracusanorum vni subesse. Facta tamen est legitima Tyrannis, cum ciues viderent se nequaquam vitare posse dissidia, & exitium vrbis, nisi eligerent Regem, cui arbitrium rerum permitterent. An verò erat absolutè bona eiusmodi dominatio? nequaquam, quia tollebat libertatem. Erat ergo bona quatenus obuiam ibat discordijs. Quod optimè expositum est à Tacito, dum dixit pacis interfuisse vni omnes parere, et non aliud discordantis patriæ fuisse remedium, quam si vni omnes subessent. Malus igitur erat Principatus absolutè loquendo, bonus tamen euasit, & existimatus est talis à Romanis, quod non aliter occurri posset dissidijs bellisq. ciuilibus. hinc adeo factum videtur, vt Augustus cum ali-

quandiu cogitasset num restituenda foret Respublica & libertas, vocatis in consilium Marco Agrippa, & Mecænate, tandem existimarit satius esse retinere Principatum, cum prospiceret fore, vt restituta libertate ad bella rediretur ciuilia.

Popularis Respublica reiecta. quæstio proposita de Regni & optimatum Reipublicæ præstantia.

Cap. IV.

CVM Tacitus in Tertio Annalium libro tres species Reipublicæ primum puras memorauerit, deinde locutus fuerit de earundem mixtura, par est quærere, si puræ inter se conferantur quænam videatur præferenda? ipse ea de re nihil. Aliqui fauent Regno, stant alij ab optimatum partibus. vix autem vllus est, qui Democratiã purã commendet, aut duabus illis speciebus præferre velit. nam populus instabilis est, tumultus ciet, non secretum seruare nec facile conuocari potest. Plebs autem, quæ sequior pars est populi, sæuit in præcipuos viros, & proceres, fidem habet adulatoribus hoc est oratoribus blandientibus, quæ omnia in Republica Attica se exeruerunt, vt propterea vix vnquam habuerit stabilem statum eiusmodi Respublica. Heluetica quoq. & Rhætica libertas nimia cum sit sæpe parit rixas, est frequentibus dissidijs obnoxia. Nec arcanorum potest popularis illa multitudo esse capax. propter dissidia profectò superioribus annis concidit libertas Rhætorum, reparata tamen auctoritate & auxilijs Ludouici XIII Regis Gallorum. Idem Rex occurrit

non semel discordijs Heluetiorum, qua de re suo loco egimus. Controuersia ergò grauis est de præstantia Regni, & Aristocratiæ. An enim satius est regi ab vno, an ab Optimatibus? apud Aristotelem est qui sic argumentatur: melius est regi à multis optimis, quam ab vno optimo. Ergò optimatum regimen præferendum Regno si dicas regnum esse antiquissimum, fatebitur id Aristoteles, sed subijciet populos postea non ferentes regum nimiam potestatem limites eorum potestati posuisse, quod non potuit fieri nisi à primorum sapientia, & consilio. hæc nunc strictim, mox accuratius de tota quæstione agemus.

Quid pro Aristocratia aduersus regnum proferri queat? Cap. V.

PRO *Aristocratiæ præstantia, dum comparatur cum Monarchia magna ratio reperitur in Republica laudatissima Venetorum, quæ tot seculis stetit, statq; nunc quoque. dices, esse mixtam. Respondeo esse puram Aristocratiam. nam populi nulla est auctoritas; Ducis verò adeò est exigua, vt ipse nequaquam possit dici habere partem in Republica oppositam Optimatibus. Non imperat exercitibus, nisi eam auctoritatem accipiat extra ordinem à Senatu. nec præest sacris, cum cura sacrorum suprema sit penes summos Pontifices Romanos, & sacra Venetijs tractentur à Patriarcha. Non igitur Respublica Venetorum potest dici mixta ex Monarchia & Aristocratia. Alterum exemplum pugnans pro Aristocra-*

cra-

cratiæ præstantia reperire est in Republica Genuensium potente; puram enim esse Ligurum Aristocratiam dubitare nemo potest. Ergò si standum sit iudicio procerum Venetorum, & Genuensium dicendum erit regno præferendam Aristocratiam.

An puram Monarchiam præ pura Aristocratia commendauerit Aristoteles? an primorum hominum regnum fuerit pura Monarchia? Cap. VI.

PVram Aristocratiam nusquam videre est reiectam, & reprehensam ab Aristotele summo viro. At puram Monarchiam non est visus admittere. nam eam quidem agnouit apud Asiaticos & Barbaros tamquam legitimam, sed indicauit non esse conuenientem moribus Græcorum, & Europæorum, quorum ingenium nequaquam seruile est, vt seruiles sunt Asiatici & Barbari. Recensuit postea quintum genus Regum, quorum potestas est pura Monarchia, sed mox subiecit non esse approbandam. nec enim penes vnum hominem debere esse arbitrium omnium rerum, sed penes legem. lex autem ipsa per se non iudicat, non damnat, non punit, cum mortua sit tabulis insculpta. Ergò putat Aristoteles executionem, quæ fit auctoritate legum, earundem interpretationem, punitionem iuxta earum iussum oportere esse non penes vnum, sed penes multos hoc est optimates. videtur igitur prætulisse Aristocratiam Monarchiæ quia quando de Aristocratia egit non memini ipsum voluisse

fuisse eam misceri cum regno, & optimatibus addi regem. At de pura Monarchia quando egit, existimauit addendos optimates Regi, ne vnus homo pro lubitu possit de omnibus rebus statuere. Non desunt ex recentioribus, qui vt probent puram Monarchiam esse præstantiorem quauis alia forma proferunt Homeri auctoritatem, & loquuntur de primo regimine inter homines, quod fuit pura Monarchia. Sed forte respondere licet ex Aristotele Heroicis primisq. temporibus non viguisse puram Monarchiam, quandoquidem penes Reges erat tantum potestas regendi exercitus tempore belli, & cura sacrorum, vt disertè docet Aristoteles, qui agit de Agamemnone. An pura erat ante institutum consulatum apud Romanos Monarchia? Nequaquam. nam tempore pacis Rex non habebat magnam potestatem: senatus profectò multa peragebat. Quid quod dabitur prouocatio ad populum, vt disertè tradit Seneca ex libris Ciceronis de Republica. Antiquissimorum ergò Regum potestas non erat pura Monarchia, vt videre etiam in Regibus veterum Germanorum licet.

IN

IN TACITUM DIATRIBA NONA.

De situ Byzantij, & Chalcedonis. de aucta Byzantio à Constantino. Cap. I.

TACITVS XII annal. cap. LXIII hæc habet de Byzantio : fertili loco secundoq. mari quia vis piscium in Metapontum erumpens, & obliquis subter vndas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu, hos ad portus defertur, vnde primò quæstuosi & opulenti. *Magis graphicè ante Tacitum Strabo lib. VII. pag. 320. edit. Casaub.* Pelamydes postquam Cyaneas præteriuère à litore Chalcedonis

alba quædam petra procurrit in mare, qua ita perterrentur pelamydes, vt illicò in aduersam partem se conferant. *hinc eò compelluntur*, vt Byzantijs & populo Romano reditum memorabilem præbeant. *Ergò cum Megarenses ex aduersò loci vbi conditum Byzantium, construxissent Chalcedonem, cæci dicti sunt. Qua de re Strabo ibidem:* Apollinem ferunt ijs qui condita iam Chalcedone à Megarensibus Byzantium condiderunt, oraculum sciscitantibus mandauisse, vt è regione cæcorum vrbi locum caperent. *quod & Tacitus narrat:* Græcis Pythium Apollinem consulentibus vbi conderent vrbem? redditum oraculum est, quærerent sedem cæcorum terris aduersam. ea ambage Chalcedonij monstrabantur. *Quò magis miror Constantinum cum statuisset nouam sedem imperij Romani condere, cæpisse augere Chalcedonem. an ignota ipsi erat historia de condita Byzantio, & de oraculo Græcis reddito? sic tamen scribit Zonaras:* Chalcedone opere inchoato, aquilas deuolasse memorant, fabrorumq. funiculos raptos, freto superato iuxta Byzantium deiecisse. *hæc Zonaras, quæ nescio annon imprudentiæ notam augere volentibus Chalcedonem, non Byzantium, impingant. Nam situs ille longè infra commoditatem Byzantinam. videtur etiam Chalcedon vrbs inauspicata, cum dicatur* cæcorum sedes. *At cur, inquies, ibi à Marciano Imperatore habita aduersus Eutychen feliciter damnatum, synodus? Quod tunc commodior locus non occureret saltem ita cogitante imperatore. Etsi autem non defuerit felicitas conuentui illi*

in damnanda noua hæresi, felicitas tamen illa non plena fuit, quandoquidem exortum in Ecclesia est ingens schisma propter tria, vt vocant, capitula. Aliqui tamen & quidem præcipui diu steterunt à tribus capitulis, ne iniuria inureretur synodo: sed Iustinianus quintam synodum conuocauit, eoq. res tandem deducta ad sopiendum schisma, vt tria Capitula carbone notata fuerint. qua de re plura ego in meo commentario Etrusco de vita Iustiniani Magni.

Expenduntur quædam verba Taciti quando agit de Iudæis asserentibus, Deum non interiturum. Cap. II.

M*iretur aliquis Tacitum Iudæis in V. histor. veluti singularem opinionem tribuere, quod dicant* summum illud & æternum neq. mutabile neq; interiturum. *Nam quæ recenset de Iudæis videntur esse ipsorum peculiaria. Neq. enim apparet Tacitum sic sentire, etsi Lipsius in suis politicis, ac si sententia foret Taciti, talia verba proferat. Quæ etiam nescio quam bene connectat cum Cicerone, qui ait Deum esse mentem solutam quandam, & liberam, segregatam ab omni concretione mortali. Nam hoc profert ex sententia Platonicorum. Stoici autem, quibus assentiri videtur Tacitus in VI Annal. cum dicerent Deum esse ipsum mundum, mundumq. interiturum, non approbabant, quod Iudæi sentiunt de Deo. Ergò dixeris Tacitum, qui amplectebatur stoicam sectam attribuisse Iudæis veluti singula-*

rem opinionem, cum dicerent summum illud id est Deum esse æternum. nam Stoici putabant in tempore extitisse mundum ex massa ignea. aiebant etiam mutabilem esse mundum hoc est Deum, & interiturum, cum dicerent rediturum in massam igneam. sed dices, eosdem Stoicos nouisse massam igneam semper fuisse, semperq. futuram, & non posse interire. respondendum est, non videri putasse ipsos massam igneam non redactam in ordinem esse Deum. rursus inquies, eos vocasse Deum igneum. Ergò putâsse massam igneam esse Deum. Responderim forte eos vocasse Deum igneum, quod in mundo elementum referens magis ignem, quam cætera elementa esset longè nobilius cæteris, cum cælum dixerint veteres ignem, & igneum, non quod ignis foret prorsus expers aliorum elementorum, sed quod ignis prædominaretur. ijdem Stoici animas putarunt igneas, & dixerunt esse particulas Dei, quæ tamen abituræ essent tandem omnes cum toto mundo, conflagratione secutura, in igneam massam, ex qua massa postea esset rursus extiturus aliquis mundus, huiusmodi massa seipsam promouente ad aliquem ordinem. Quid verò magis repugnat rationi, & humani generis consensui, quam Deo tribuere interitum? Ergò ex Stoicis quoq. id negarunt aliqui, saltem summum Deum infitias iuerunt interire. Antipater Tarsensis apud Plutarchum de Repugn. stoic. Deum intelligimus animal beatum, interitus expers. *mox subijcit* : & verò vniuersi arbitrâtur eos interitu carere. *Chrysippus teste eodem Plutarcho*, excepto igni nullum Deum putat interitu carere: sed cæteros omnes æquè & natos

& obituros. *verba Chrysippi sunt:* deorum alij nati sunt, & interituri: alij non nati sunt. Sol, Luna, & reliqui dij, quorum similis ratio est, nati sunt. Iupiter æternus est. *Rursus:* idem dicetur de sapientia, & origine tum deorum reliquorum, tum Iouis. Alij enim interitui sunt obnoxij, aliorum partes perennes. *hæc Chrysippus, quem explodit & irridet, & quidem meritò Plutarchus.*

Magnorum virorum facta, quibus fatum nihil vult esse arduũ, non temere in exemplũ assumenda. Cap. III.

H*istor. II. cap. LXXXII. n.* 6 nihil arduũ fatis. *histor. IV. cap. LXXXI.* 7. Vespasianus cuncta patere fortunæ suæ ratus. *hist. V. cap. X. n.* Vespasianus fortuna. *de fato solet haberi cognitio ex præsagijs quibusdam unde animus ei, cui præsagitum est. apud Suetonium c. V. enumerantur aliquot signa fati indices significantia Vespasianũ imperaturum, inter quæ illud:* apud Iudæam dei oraculum consulentem, ita confirmauere sortes, vt quicquid cogitaret volueretq. animo quamtumlibet magnum id esse prouenturum pollicerentur. *Miretur aliquis Alexandrum recusasse conditiones pacis, quas honestissimas obtulit Darius desinit mirari, qui cogitat Alexandrum non dubitasse de victoria, qua de re videndus Iosephus lib. VI antiquit. c. VIII. Temeritatis accusaret quis eundem sese conijcientem in pericula, & quandoq. nimis fidenter se gerentem. Cogitet fatum, et ipsum excusabit. Idē dixeris de Iulio Cæsare vbiq. magnã fiduciã præferentem, cum de Numinum fauore non dubitaret. periculi igitur plena res est historias legere, ex historijs petere, quæ tibi prosint. responderim, cogitandum lectori historiarum, an quod narratur ab*

Heroe

Heroe mandârit, & ab eo, qui de Numinis singulari erga se beneuolentia & propensione antea fuerat certior redditus. Nec enim quælibet Heroum facta in exemplum assumenda, quasi communis conditionis homo æquare Heroicos possit successus. Herouum nempe facta extra communem ordinem posita sunt, neq. temere oportet nos ea imitari. ipsi nihil inuitum ac virtuti rati grandia moliti, quod animus spe plenus nusquam despondèretur. Ergò quod in Heroibus excelsum & prope diuinum, in alijs cum temeritate videbitur coniunctum. At, inquies, facta in historijs, recensentur, vt exempla sint nobis ad decurrendum stadium virtutis. Tu verò quædam tam quam ad temeritatem proximè accedentia notas. sed iam dixi non quidlibet, quod narratur in historia, esse imitandum.

De regimine mixto Israëlitarum à Deo ipso instituto Cap. IV.

VT *regimen mixtum tantopere laudatum Tacito præferatur absoluto vnius imperio, maximè facere videtur institutio Reipublicæ Hebræorum auctore ipso Deo. sub iudicibus namq. apparet fuisse regimen mixtum. nec enim Iudices absolutè imperabant. hinc eiusmodi forma regiminis opponitur regno: qua de re audire lubet Iosephum lib. VI. antiq. cap. IV.* hæc populi (*petentis Regem*) voluntas vehementer Samuelem contristauit, qui propter innatam iustitiam non amabat regiam potestatem vt nimiam. Valde enim opti-

matum

marum gubernatione delectabatur, non aliam ad felicitatem populi conducibiliorem existimans. *Vides Iosephum vocare statum populi sub Iudicibus Aristocratiam, eumq. opponere regno. Accedat auctoritas Sigonij, qui de Repub. Hebr. scribens lib. VII. cap. II. sic loquitur:* Qui ergo primam Hebræorum rempublicam id est Aristocratiam in terra Canaam gesserunt. *subijcit Iudicum præcipuam auctoritatem fuisse, vt iudiciorum, consiliorum, & bellorum principatum tenerent. ait autem eos ius necis liberum nequaquam habuisse, quia in omnibus legem secuti sunt, qua deinde soluti Reges fuerunt: nec silet eos quidem bella gessisse, sed belli suscipiendi arbitrium non habuisse, alioqui reges ipsos potestate æquassent. hic principatus hæreditarius non fuit, sed studijs populi delatus. Cum autem scriptum est Deum populo hunc vel illum Saluatorem excitâsse, significat Deum populo in mentem iniecisse, vt hunc aut illum belli ducem designaret. Seniores sane ad Iephte dixerunt:* veni & esto princeps noster & pugna contra filios Ammon. *fuerit, dicet aliquis, regimen mixtum sub Iudicibus; non videtur tamen Iosephus recte eum statum Aristocratiam appellasse, cum potius vocandus veniret principatus: respondendum est Aristocratiem appellatam, quoniam Iudices iudicabant quidem, & bellum gerebant, sed non tam adducta eorum erat auctoritas, vt principatus deberet vocari. necis potestatem non habebant, non poterant pro suo arbitrio suscipere bellum, eligebantur à senioribus. Ergo cum seniorum videretur esse maior potestas, quam Iudicum Iosephus, Ari-*

stocra-

ſtocratiam appellauit. Nam ſi Iudices habuiſſent ius necis in iudicando, ſi pro lubitu potuiſſent gerere bella, ſi etiam non electi fuiſſent, ſed hæreditate adepti principatum, quod quæſo fuiſſet diſcrimen inter Iudices & Reges, cum tamen Deus valde reprehenderit populum, quod petijſſet Regem? Rex porrò à Deo deſcribitur, vt abſolutus, & improbatur. Igitur Iudice Deo pura Monarchia non eſt bona, ſatiuſq. eſt habere mixtum regimen. Nec tamen neceſſe eſt omnes populos carere pura Monarchia, quia Deus eiuſmodi inſtitutione non voluit legem omnibus populis ſcribere. Quin ipſe tandem puram Monarchiam approbauit in populo Iſraëlitico. viderint verò qui puram Monarchiam tantopere extollunt, vt reliquas ſpecies ſiue puras, ſiue mixtas vituperent, annon ſapere velint videri ſupra ipſum Deum, qui Ariſtocratiam in populo ſuo inſtituit, aut ſaltem regimen mixtum approbauit improbata pura & abſoluta Monarchia tamquam nimia. At inquiunt ipſi, Deus Adamum creauit Monarcham & abſolutum Dominum. Reſpondendum eſt eiuſmodi Monarchiam eſſe admodum obſcuram. Non enim paterfamilias eſt Monarcha, nec neceſſe eſt omnes, qui originem tamquam poſteri ex vno auctore trahunt ſubeſſe aut illi, aut eius maximo natu filio. Filius namq. natu maximus non imperat fratribus, nec pater ſuæ familiæ eſt Rex, cum non habeat iure omnium gentium ius vitæ & necis in vxorem, aut filios. ſcio apud Romanos patrem habuiſſe poteſtatem occidendi filios, potuiſſeq. conuocatis conſanguineis punire vxorem adulteram, ſed hoc ſingulare fuit in Romanis, poteſta-

tem

vitæ & necis respicias : in punienda vxore adultera non solus erat iudex, sed agnati, & alij, qui sanguine eam attingebant. at ipsa vicissim poterat cum viro diuortium facere, si male tractaretur à viro, vt non ignotum est apud Iurisconsultos. sed obijciunt ijdem pro absoluta Monarchia Patriarcham Abraham, qui bellum gessit suo arbitrio, tamquam Monarcha. Respondendum est, Abrahamum in terra Canaan nihil possedisse, & Principem nequaquam fuisse. gessit autem bellum conniuentibus ijs, qui Domini erant. addo non videri opus fuisse potestate. nam quod quis derepente agit se tuendi suaq. recuperandi causa, id iure facere videtur. nec enim indixit bellum, non conscripsit milites, sed cum audisset spoliatum fuisse Lothum, assumptis seruis suis persecutus est raptores tamquam prædones, eisq. eripuit bona rapta. An si multi iter facientes inuadantur a latronibus, eos strictis gladijs persequantur, occidant, aut fugent, dicentur habere arbitrium gerendi bellum? nequaquam. obijciunt etiam Iudam, qui nurum suam igni adiudicauit. dixerim fecisse hoc forte quod tunc paterfamilias haberet ius vitæ & necis in suos; aut permittente Domino illius regionis sic se gessit: quandoq. namq. Principes permittunt, vt peregrini proceres pro lubitu suo puniant eos, qui sunt è sua familia. Quid dicendum de Mose? Deus ipse videbatur interesse populo Israelis, cum egrederetur ex Ægypto, hinc Moses veluti minister Dei præsentis & iubentis multa legitur fecisse. Nescio an inde colligendum Mosem fuisse absolutum Monarcham Israëlitarum: cum nihil ageret nisi iussu Dei

præsentis, alloquentis & deducentis populum. ad Gedeonem quod attinet occidentem suptuaginta viros urbis Socoth, & turrim Phanuel subuertentem, respondendum videtur, id fecisse imperio militari; nam & apud Romanos consules dum bellum gerebant poterant occidere aliquos, in quos tempore pacis non habebant imperium.

IN TACITVM DIATRIBA DECIMA.

Non bene vocari dictatorem, Regem ad tempus constitutum. Cap. I.

CVM *Tacitus dicat habitam primum Romam à Regibus, mox faciat mentionem Dictaturarum sub Republica ad tempus sumptarum, quærendum an inter recentes scriptores vir clarus recte scribat Dictatorem* fuisse Regem ad tempus? *puto negandum. Neq. enim vllus Rex potest dici ad tempus constitui, nec licet inuenire vllum Regem in historia, cuius potestas non fuerit ad vitam & perpetua. hinc Aristoteles*

dum loquitur de antiquissimis Regibus, ait regnum nihil aliud fuisse, quam perpetuam praefecturam exercitus. Qui namq. Rex erat quamdiu viuebat tempore belli ducebat exercitum. adde Dictatori potuisse extra ordinem exaequari magistrum equitum, vt haberet non minorem potestatem in ducendo exercitu, quod euenisse Romae scimus cum Fabius Maximus dictator esset. Regi verò nullus poterat exaequari. nec silendum Dictatoris potestatem non repugnasse libertati, cum libertas Romanorum in eo posita esset, vt magistratus essent annui, dictatura autem semestris, vt tradit Liuius. At regnum opponitur libertati apud Tacitum.

Mors quorundam sapientum virorum immerito illata. Cap. II.

CVM *sapientis sit nihil admirari, nouitas autem sit causa admirationis, par est vt quando legimus apud Tacitum Cremutij Cordi, Thraseae Pati, & Senecae obitum, iubeamus ex pluribus claris exemplis, illustrium, & sapientum virorum interitum, tragicumq. exitum nostrae memoriae occurrere. memoretur ergò Callisthenes, quem immeritò sustulit & interemit Alexander, victoriarumq. suarum gloriam obscurauit. de Aruleno Rustico, & Herennio Senecione, quorum ille Thraseam, iste Heluidium laudarant, eorumq. vitam ediderant. scribit Tacitus in principio vitae Agricolae,* capitale *ipsis fuisse & in tales auctores saeuitum. Heluidius occisus itidem sub Domitiano. Tacitus quidem*

tan-

tantum carceris facit mentionem, at interemptum ait Plinius lib. III. Ep. XI. occisis Senecione, Rustico, Heluidio. *quod tamen intelligendum non de Heluidio Prisco patre, sed Heluidio filio. prodeant quoq. verba Plutarchi in libro Repugnant. Stoicarum:* condemnatio Socratis, Pythagoræ viuo à Cyloneis illatum est incendium, Zeno à Demylo Tyranno, Antiphon à Dionysio Tyranno excruciati perierunt. *Nero vita spoliauit Cassium Longinum Iurisconsultum luminibus orbatum. Papinianum virum optimum, præclarissimumq. Iurisconsultum securi iussit percuti Antoninus Caracalla. Longinum philosophum occidit Valerianus Imperator.*

Ad illustrandam historiam de imperatoribus Romanorum quædam obseruantur ad Ausonij Tetrasticha. Cap. III.

CVM aliquot imperatorum gesta illustrarit Tacitus, non ab re erit percurrere Tetrasticha Ausoniana de ijsdem Cæsaribus, cum eiusmodi labor aliquid lucis toti materiæ sit allaturus. Ausonius ergo de Iulio sic:

Imperium binis fuerat solemne quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.

At ipse non sub nomine Consulis aut Consulum sumpsit potestatem, sed dictatoris perpetui, nec sustulit potestatem consularem, vt cuiuis notum. respondendum est Iulium Cæsarem obtinuisse potestatem imperandi exercitibus, qua propria erat consulum. Etsi ergò non fuerint

subla-

sublati Consules, tamen imminuta eorum potestas, quia postquam Cæsar obtinuit imperium Imperatores præfuerunt exercitibus, non consules. sed imperauit tantum trium annorum spatio post scilicet profligata bella ciuilia. Ausonius eiusmodi spatium vocat trieterida, *quam reperire est apud Statium, Martialem, & Ciceronem. Trieterica autem erant sacra Bacchi, quæ tertio quoq. anno celebrabantur. Mox memorat Ausonius* armatam togam, *quod mirum videtur. nam Romani armabantur induto sago, sumpta autem toga deponebant arma, vt videre est apud Ciceronem in Philippicis. dicendum est, proceres Romanos, qui occiderunt Cæsarem togatos ingressos curiam, & sub togis celauisse pugiones, & sicas, quibus occiderunt Imperatorem. Augustus autem cur Ausonio vocatur* nomine nobilior? *nam Augusti nomen fuit excogitatum à populo tamquam valde auspicatum, dictum ab auium gestu; hinc illud vulgatum:*

Augusto imperio postquam inclyta condita Roma
est.

Cur verò Augustus creditus est esse Deus in terris positus? postquam animam Cæsaris putarunt receptam in cœlum, & Deum factam, venerati sunt eius filium tamquam Deum, iuraruntq. per ipsum positis etiam altaribus, institutis sacerdotibus. hinc ille:

Namq. erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

De Tiberio nescio quam rectè dicat Ausonius, quod prima iuuentæ tempora laudato gesserit imperio: cum enim consors esset imperij, Rhodi vixit, vixq. quic-

quam

quam egit. post mortem autem Augusti an laudauerit eius gesta? nescio. dictum enim est:

Regnabit sanguine multo
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Puto comparatione vti Ausonium inter ea, quæ gessit Tiberius in luce hominum, & illa, quæ Capreis patrauit; fœdissimis enim voluptatibus latens & insuper habens publicam dignitatem & salutem se turpauit. Nec profuerunt ei latebræ, cum fama & historia omnia illa infanda detexerit. de Caligula sic:

Successit sæuo sæuior ingenio.

Fuit enim sæuior sæuo Tiberio, cui successit. superauit autem auum id est Tiberium maculosus ipse, sed fœdior auo omni crimine polluto. Auum vocat Caligulæ Tiberium, cum fuerit filius Germanici, quem Tiberius ad optauerat. de Claudio ait, quod prodiderit ingenium suum ineptum, & insulsum factus imperator; Magistratus enim ostendit virum. fuit autem nocens non faciendo, sed patiendo id est proper facilitatem, qua patiebatur quidlibet patrari ab vxoribus & libertis. Parum autem videtur referre siue quis faciendo, siue patiendo noceat, & obsit. Non ergò inter bonos Principes recensendus Claudius, cum nocuerit si non per se certè per alios. in Neronem sic scribit Ausonius.

Æneadum generis qui sextus & vltimus heros
Polluit, & clausit Iulia sacra Nero.

Nero etsi ex familia Domitia per adoptionem insertus stirpi Iuliæ, quæ pro diuina habita ab Æneæ matre Venere profecta. Ergò sextus imperator post Iulium Nero

dictus

dictus est Heros, hoc est cælestis originis. Sed Iuliorum mysteria polluit sceleribus clausitque, cum in ipso Iulium genus defecerit.

Nomina quot pietas. *quæ pietatis nomina in Nerone? Iuliades fuit ex stirpe Iulia ob adoptionem. Claudius, à Claudijs, quibus quid illustrius? quid etiam nobilius Neronibus? Nero autem lingua sabina virum fortem significat. Nihil tamen profuerunt pietatis nomina grauissimis vitijs denigrata. Galba iudicatus dignus imperio, sed non respondit expectationi ob sordes, & auaritiam. satius autem fuisset male audiuisse in iuuentute, & bene in senectute. hinc Ausonius:*

iustior ordo est
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

Sed paucos reperire est, qui priuati displicuerint, & promoti placuerint, at multi priuati placuerunt, displicuerunt publici. singulare in Othone, quod vixerit vt Nero, mortuus vt Cato aliquis. hinc Ausonius:

morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod perijt.

Supple, quod perijt præclarè & fortiter. At apud Tacitum de Messalina: animo per libidines corrupto nihil honestum inerat. *quod nequaquam verum in Othone; etsi namq. libidinibus fuisset obnoxius, honestissimè tamen, vt illa ferebant tempora, obijt. videndus in eam rem etiam Martialis laudans exitum Othonis.*

qui præmia regni
Sæpe indignus adit, non sibi dignus habet.

An

An ergò dignus habuit imperium Vitellius cum indignus id adierit? puto velle dicere Ausonium eum, qui licet indignus audet adire regnum, saltem dignum videri, qui illud habeat licet ad breue tempus, cum oporteat magno animo esse præditum, qui affectat imperium, quod si obtinuerit, dignus aliquatenus censebitur qui illud habeat. laudatur Vespasianus à frugalitate, qua profuit Romanis reprimendo luxum. imperator autem factus ostendit se dignum Imperio, famamq. meliorem semper reddidit. Sed Titus cur vocatur felix breuitate regendi, *cum conquestus fuerit sibi immerenti vitam eripi? forte quod maximum sui desiderium moriens reliquerit. adeò autem Ausonius commendat Titum, vt licet dixerit ipse se vnius rei pœnitere, putet non illi fidem habendam, atq. existimandum omnis criminis expertem obijsse. pessimus porrò Domitianus obscurauit Flauiæ gentis merita in gentem Romanam. nam non diu imperarunt Vespasianus & Titus, diu sæuijt Domitianus reliquitq. sui memoriam prorsus dolendam, & abolendam, cum quindecim annorum spatio Romanis valde obfuerit. meritò ergò ipsum Domitianum mox agens de Nerua appellat Tyrannum. Qui quidem Nerua eum adoptauit quem voluisset gignere:*

imitatur adoptio prolem:

Quam legisse iuuat: quam genuisse iuuat.

Felicitatem eiusmodi adoptionis extollit Plinius, quia qua die adoptatus est Traianus laureatæ litteræ, imo laurus allata est ex Pannonia, collocataq. prorsus auspicatò in gremio Iouis, quod haud obscurè significauit, fore,

vt Traianus vinceret populi Romani hostes. Non ipse verò Traianus tunc erat in Pannonia, sed apud Vbios & Agrippinenses. celebratur idem Traianus à Plinio, quod valde similis fuerit Neruæ quoad probitatem, clementiam, superior tamen ipso laude militari. An verò adoptatus est à Traiano Adrianus? nequaquam, vt iam olim in meo additamento Critico ostendi. sed opinio communis fauet adoptioni. de Adriano non adeò honorificè sentit Ausonius, nam putat quidem fuisse bonum sed non parem bonitate Traiano. tribuit quoq. ei famam grauem. obseruat etiam satius esse adoptare, quam gignere:

sociatq. virum documenta daturum,
Adsciti quantum præmineant genitis.

Qua ratione vtuntur qui aiunt electionem in regno deferendo præferendam successioni: natura namq. non gignit semper meliorem, at melior solet eligi. Antoninus quoq. more Romano adoptauit, qui bene regeret patriam. ita feliciores Nerua, Traianus, Adrianus, Antoninus Marco, nam illi adoptârunt bonos, iste genuit pessimum. Marcus scita Platonis fecit ad imperium. *an fuit sectæ Platonicæ Marcus? Nequaquam. cur ergò dicitur fecisse scita Platonis ad Imperium? quia philosophando imperauit, & imperando philosaphatus est. Cur idem Marcus dicitur melior Pio? vix credideris. à Iuliano tamen omnibus Imperatoribus præfertur. feliciora autem videntur fuisse tempora sub Pio ijs, quæ sub Marco. Commodus est fassus criminibus matris adulterium. an ergò adultera Agrippina, quæ peperit*

Ger-

Germanico optimo pessimum Caium? probabiliter est locutus Ausonius. cum enim constet impudicam fuisse Faustinam, verisimile est concepisse Commodum non à marito, sed ab adultero. Ælius optimus Princeps ex comitatu Marci peruenit ad imperium, electus à senatu. hoc non potuerunt ferre prætoriani, assueti petulantiæ sub Commodo, & nescij disciplinæ militaris, ad quam eos reuocare satagebat Pertinax optimus, fortissimusq. senex. ô scelus prætorianorum; vita namq. virum & Imperatorem eximium spoliarunt, cuius facinoris pœnas dederunt postea sub Septimio Seuero. Didius autem Iulianus non gauisus fructu fauentium militum. sed Seuerus, si credimus Ausonio, non rapuit, sed recepit imperium. Cum enim videret senatum contemni, & confusioni omnia inuolui ex Pannonia properauit ad vrbem, scelestosq. milites exuit armis. fuit quidem origine Afer Seuerus, sed non ideò indignus imperio. hinc Ausonius:

Punica origo illi, sed qui virtute probaret
Non obstare locum, cum valet ingenium.

Quid dicendum de Antonino Caracalla? dissimilis Patri, dissimilis Antoninis fuit; nam pater ei nomen laudatissimorum imperatorum imposuit. vituperatur etiam ob mortem patris. Macrinus occisorem Antonini sustulit, mox cecidit cum filio. Meruit autem quod passus est. Heliogabalus porrò Antoninorum nomina falsa gerit, *pseudo Antoninus appellatus. hæc raptim ad Ausonium, dum sector Tacitum, annotare lubuit.*

IN TACITVM DIATRIBA VNDECIMA.

Quod esset temperamentum Regni apud veteres Romanos. Cap. I.

CVM dicat Tacitus Reges initio Romam habuisse, operæpretium haud amittetur, si de potestate Regum agamus, & intelligamus, purumne fuerit regnum Romanorum, an temperatum? Liuius in Romulo narrat centum Senatores ab ipso creatos, ex quorum consilio rapuit puellas Sabinas. si recentiori historico credimus, peccauit Romulus, quod Consultam, vt vocant, ex paucis sibi addictis non instituerit, sed ex magno numero Senatum conflaue-

rit;

rit: aduersus quem Senatum sic disserit recentior author, Vt omniũ ætatum, quę vnquam fuerunt Senatus videatur velle euertere, & imprudentiæ accusare omnia imperia, omnes Respublicas, quæ Senatoribus fidem habuerunt, eorumque frequentiæ crediderunt publicam incolumitatem. sed perpendamus rationes, quas promit pro arcano paucorum congressu aduersus Senatum. si forte quid repentinum ingruerit, licet ocyus definire rem in arcano congressu, quam in Senatu. Cur ergo Romæ in arduis negotijs non conueniebant duo Consules cum duobus tribusq. alijs & consilium capiebant absque Senatu? Cur Rex, antequam consulatus institueretur, consilium patrum sequebatur? fateor posse ocyus aliquid definiri in congressu paucorum, quam in Senatu, sed nego æquè bene. Adde periculosum esse credere salutem publicam pauculis, qui suo commodo velificantes possunt conspirare contra ciuium incolumitatem. dices, quandoque periculum esse in mora. respondeo, hoc periculum existere, quando arma sunt expedienda, tuncque Rex, aut Dux potestate sibi commissa celeriter videt, ne quid detrimenti Respublica patiatur. tempore profectò pacis vix potest esse periculum in mora, nec necesse est consilium in arena capere. Quis verò fidem habeat recentiori auctori asserenti inter paucos plerumque prudentius singula explorari? est hoc effatum, nisi maximè fallor, ingens paradoxum. frustra cæteroqui instituti fuissent omni ætate Senatus, frustra etiam magnis sumptibus conuocarentur Comitia, si singula a pauculis prudentius explorarentur. pergit & ait, inter paucos pauciora esse priuata compendia, nec

mi-

minorem esse sapientiam, si delecti fuerint. **Respondendere est**, *in Senatu non posse priuata compendia interuertere ea, quæ faciunt ad publicam vtilitatem, cum credibile non sit trahendam ingentem multitudinem ad priuatum compendium vnius, aut pauculorum. Quin imò cum priuatis compendijs vix possit esse locus, locus erit publicæ saluti; cum enim ingens numerus referat communem propensionem ciuium, an poterunt tam multi ab ipsa discedere? vix id credibile est. nec est quod obijcias pauculos fuisse delectos, nam Senatores quoq. deliguntur. si verò pauculi deligendi, à quo delectus habendus? an à Principe, an à populo? si à Principe & Rege, eliget ipse, quos norit daturos operam, vt fiat quod possit vni Domino placere. Si eligantur à populo, voto suo excidet Rex, absolutam potestatem arripere cupiens. Romulus autem non quærens compendia sua, elegit centum, vt explorarent quid vtile toti Regno, non Regi priuatim. rursus oppugnatur Senatus, cum in ipso declametur, inter pauculos autem remoueatur contentionis occasio. sed quis non videt ad explorandam veritatem orationes habendas, vt quod optimum factu inueniatur & ab alijs approbetur? non aliter certè vmquam constitit aut constare potest Senatus, non alia fuit conditio Comitiorum, & publicorum conuentuum, quos si damnet recentior scriptor, damnabit imprudentiæ plerasq omnes nationes, pleraq. omnia secula, quibus scimus habitos publicos nationum conuentus. Nec etiam asserendum plures in Senatu præualituros melioribus, nam Senatores sunt viri notæ prudentiæ & perspectæ probitatis, quod nos*

Respu

Respublica Romana, Venetaq. vt alias omittam, docet. dubia autem fides absq. dubio pauculorum, qui suæ auctoritati priuatim velificantes eligunt plerumq. non quod publice prodest omnibus, sed quod sibi ad potentiam sternit viam. Quid quod pauculi ferè pendent à nutu vnius, qui regit principem & Regem, manente nomine & specie penes Regem, sita autem re & potestate penes carum & præpotentem ministrum. Qua autem ratione tales se gerant nos docet historia Seiani, ne sileam libertos Claudij. Quid referam nostri seculi notissima nomina Ancraum, Buchingamium, Echenbergium, Lermaum, Luinaum, Richelium, de quibus suo loco forte vberius. ab eiusmodi hominibus fateor celeriter absq. declamatione negotia expediri, sed non è dignitate Regum, qui non regunt sed reguntur. num è communi populorum voto? viderint, qui res gestas nostri seculi narrant. nec enim quia nominaui Seianum, & libertos Claudij, puto nostri seculi præpotentes Regum administros ipsis prorsus similes fuisse. Tantum assero à viris sapientibus nequaquam approbari eorum Regum Principumq. morem, qui expertes negotiorum, & curarum, quibus publica incolumitas nititur, arcem & apicem Regij consilij vni committunt, vni credunt, parum solliciti, quò dirigantur totius regni, imperij grauissimæ difficultates. At quò abreptus abij ab instituto? cœperam enim agere de regno Romanorum eiusq. iure. è diuerticulo igitur in viam reuertor. Fœdere & pace inita cum Sabinis, conflataq. gemina natione duo fuere Reges Romæ Romulus & Tatius. verba Liuij sunt: inde non

modò

modò commune, sed concors etiam regnum duobus regibus fuit. *agnoscis regimen mixtum. nec enim absolutæ potestati videtur locus esse, vbi duo sunt Reges quod de Spartana quoque Republica pronunciandum, in qua itidem duo Reges. adeò non semper verum, quod ait Lucanus:*

omnisque potestas

Impatiens consortis erit.

Fateor tamen subiungere Liuium non admodum offensum fuisse Romulum occiso Tatio à Laurentibus ob infidam societatem regni. *agnoscis interim in verbis Liuij regni societatem. non silet Liuius multitudini magis quam patribus acceptum Romulum. nec desunt qui dicant, quod vellet potestate vti absoluta, interemptum à Senatu Regem in Curia. si verò tanti est Regia potestas, paruique sit Senatus, contemniturque multitudo, quid fiet publicæ saluti mortuo Rege nullo filio relicto? aut si relinquat filium adhuc infantem, cui credenda popularis incolumitas? agnoscamus ergò rem gestam Romæ post Romuli obitum. res redacta ad interregnum imperante decuria ex patribus in quinque dies vno ex ipsis cum insignibus imperij, & lictoribus constituto. Tandem placuit tam multitudini, quam patribus Regem creari. Cui ergò innititur regum potestas? si consulis historiam Romanam, dices fundatam populi voluntate. nam si placuisset non habere caput, carere rege Quiritibus, ratum id fuisset. Annon autem instituentibus Regem, fas est postea eundem destituere, aut eo mortuo aliud genus regiminis amplecti, aut eligere quidem*

regem

Regem, cui tamen leges quædam, in quas iuret, præscribantur? quis dubitet? nemo nisi insanus. Crearunt autem Romani Numam Regem, qui cum efferatos bello ad mansuetudinem deducere cuperet, religioni inprimis incubuit, quod munus fuit regum ab antiquissimis temporibus, vt iam pridem annotatum est ex Aristotele. de Numa autem Liuius: plurima sacra obibat ea maximè, quæ ad Flaminem Dialem pertinent. *Cum ergò Regum esset bellum gerere, & curare sacra, Numa abhorrens à bello sacra constituit; quod singillatim describit Liuius. Quæret verò aliquis, cum Reges vetustissimi bello incumberent, & curam religionis gererent, quodnam esset præcipuum munus in ipsis? difficile est respondere. pro religione militat maiestas Numinis: pro bello, vis: manca enim & mutila respublica, quæ vim propulsare nequit, statim namque finitimorum præda fieret. Quod si aliqui contemnerent sacra, frustra forent sacerdotes imbelles, nisi in contemptores animaduerteret gladio Rex. Ergò si constitutionem reipublicæ respiciamus videtur magis necessarium munus Regis bellicum & militare, cum tueatur sacra. sacra autem maioris videntur esse dignitatis, cum nihil sit dignius Numine, imò nihil non sit infra Numinis maiestatem positum. Leges porrò de sacris frustra forent, aut saltem imbecilles essent, nisi à gladio intentaretur metus, cum lex ideò sit lex quia cogere potest: cogere autem non potest, nisi ei adsit gladius. mortuo Numa absque filio ad interregnum res rediit. Electus Rex Tullus Hostilius. audi Liuium:* Regem populus iussit, pa-

 tres

tres auctores facti. *vides temperamentum auctoritatis in eligendo Rege. populus habuit suas partes, habuit & Senatus. in eiusdem Regis actis legere est apud Liuium, quando agebatur de vita ciuis Romani licuisse prouocare à Rege, à Duumuiris ad populum. quod euenit cum ageretur de capite Horatij. hinc Historicus:* Non tulit populus nec patris lacrymas nec ipsius parem in omni periculo animum, absolueruntq. admiratione potius virtutis, quam iure causæ. *Hoc est quod tradidit Cicero in libris de Republica, teste Seneca sub regibus ad populum prouocationem fuisse, scilicet in re capitali. Cur verò si lege Regia imperatores habebant potestatem hoc est exemplo Regum, non meminerant sub Regibus fas fuisse, quando agebatur de capite ciuis Romani ad populum prouocare? Cur in posterum non sunt passi eundem populum conuenire? cur sibi absolutum iudicium de ciuium Romanorum capitibus sumpserunt constituto præfecto vrbis, qui omnium criminum cognitionem habebat? licebat ergò ciui Romano prouocare ad Principem, non autem ad populum. Ergò Principes sibi plus sumpserunt, quam lex Regia concederet. Qua verò ratione electus fuerat Tullus Hostilius, eadem constat ad regnum promotum Ancum Marcium, vt repetere necesse non sit, quæ iam protulimus. suscipiendi indicendi belli ius non erat penes regem; nam Liuius in Anco Marcio agens de iure feciali, deque ritu bellum indicendi ait consueuisse Regem* consuluisse *patres his ferme verbis:* dic inquit, ei, quem primum sententiam rogabat quid censes? tum ille: inde

ordine

ordine alij rogabantur, quandoque pars maior eorum qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum. *arbitrium ergò belli penes Senatum erat non penes regem. vides etiam habitam rationem maioris numeri suffragiorum. Senatulo tunc, quem laudat auctor recentior, nullus locus. ex quibus discere est adstrictam fuisse, non absolutam Regis potestatem. Fecialis etiam ad fines hostium procedens aiebat bellum decretum à populo Romano, non à Rege:* Quod populus Romanus bellum iussit esse cum Latinis. ob eam rem ego (*Fecialis*) populusque Romanus populis priscorum latinorum bellum indico facioque. *vide plura apud eundem Liuium. Mortuo Anco relictis filijs pubertati proximis Tarquinius tamen electus est, neglectis filijs mortui Regis. Liuius: Tarquinium* ingenti consensu populus Romanus regnare iussit. *vides à populo præteriri posse filios Regum vita functorum, & assumi illum, qui instructus sit artibus regnandi. Tantum autem abest, vt Tarquinius rem ad senatulum aut pauculos redegerit, aut redigere conatus fuerit, vt potius centum patribus alios centum addiderit, qui appellati sunt minorum gentium. Ergò Senatus sub Tarquinio constitit ducentis Senatoribus. Seruius deinceps* iniussu populi voluntate patrum regnauit. *vides quanta Senatus auctoritas. Etsi autem non iusserit populus, non tamen contradixit. deinceps, quia Iuuenis Tarquinius aiebat Seruium iniussu populi esse Regem, ad populum tulit* vellent iuberent se regnare? *magnoque consensu, maiorique quàm vmquam*

Rex est declaratus. obtinuit igitur quod videbatur deesse. Quæ deinceps sequuntur ostendunt quam non placeret Romanis absolutum regnum. audiamus Liuium: id ad gloriam Seruij Tullij accessit, quod cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt. *pergit:* id ipsum tam mite ac moderatum imperium, tamen quia vnius esset, deponere eum in animo habuisse quidam auctores sunt. *vides putasse Seruium nimiam etiam Regis moderati videri potestatem. L. Tarquinius ei per scelus succedens superbus est appellatus, quia primores patrum, qui videbantur fauisse Seruio, interfecit. idem Liuius:* armatis corpus circumsepsit. *sed annon Romulus* Celeres *instituit? ipsi comitabantur Regem in bello, non tempore pacis. pergit Liuius* ad ius regni quicquam præter vim habebat: vt qui neque populi iussu, neque auctoribus patribus regnaret: cognitiones capitalium rerum per se solus sine consilijs exercebat. statuit nullos in patres legere. hic regum primus traditum à prioribus morem de omnibus Senatum consulendi soluit, domesticis consilijs rempublicam administrauit: bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse cum quibus voluit iniussu populi ac Senatuis fecit, diremitque. *Cur verò imminuto Senatu nullos allegit? vt paucitate ordo ille esset contemptior. ex quibus discere apertissimè est, quas putarent Romani esse boni Regis, boni principis notas, mali itidem argumenta. Annon verò hæc omnia confirmant sententiam toties laudatam de temperato, mixtoque regimine?*

IN

IN TACITVM DIATRIBA DVODECIMA.

Adhuc perpenduntur res Tarquinij Superbi affectantis absolutam potestatem, opprimentis mixtum regimen. Cap. I.

NONNVLLA adhuc perpendenda sunt in Tarquinio superbo, ad illustrandum commendandumq. regimen mixtum, improbandum reijciendumque absolutum. superbi ei nomen inditum, quod vellet metui, omniaq. per metum agere, quod proprium absolutè imperantis. Liuius sic: superbi ei inditum Romæ cognomen, iam enim ita clam quidam mussitantes ita tamen appellabant. *vides, malam in partem expositum cognomen, non*

bonam, vt significaret gloriosum, quemadmodum videtur voluisse Virgilius, dum inquit:

animamque superbam
Regis Tarquinij.

Cur enim mussitantes sic ipsum appellabant? sub Rege autem absoluto & metui volente non licet palam dicere quod sentis. Audiamus Tacitum primo histor. cap. I. de imperio Traiani: rara temporum felicitate, vbi sentire quæ velis. & quę sentias dicere licet. *At sub Domitiano, vt est apud eundem in principio Agricolæ:* adempto per inquisitiones & loquendi, audiendiq. commercio. *Rursus qui affectat inter suos absolutum imperium, iungit amicitias cum peregrinis, vt magis sit terrori ciuibus, cum possit implorare exterorum sibi sanguine, aut beneuolentia iunctorum auxilium. Liuius ita de Tarquinio superbo:* Latinorum sibi maximè gentem conciliabat, vt peregrinis quoque opibus inter ciues tutior esset: neque hospitia modò cum primoribus eorum, sed affinitates quoque iungebat. Octauio Mamilio Tusculano filiam nuptum dat. *deinceps Liuius Tarquinium* iniustum in pace Regem *appellat. Filius Sextus de patre:* in curia solitudinem fecit. *vt boni Principis est, tueri, augere, ornare Senatum, ita mali persequi, minuere, comptemtui obnoxium reddere. in quam rem extat præclara Epistola apud Plinium ad Aristonem, in qua proponit et difficilem quæstionem facientem ad dignitatem potestatemque Senatus, in qua indicat sub Domitiano, qui Senatum premebat, locum non fuisse eiusmodi quæ-*

stioni,

ſtioni , at iam eſſe , quando Senatores denuo magni incipiunt fieri ſub optimo Traiano . digna eſt Epiſtola quæ tota legatur, cum etiam contineat memoriam Ariſtonis Iuriſconſulti , cuius ſit mentio in Pandectis . vides porrò à Liuio recenſeri concilia publica Gabinorum , memorari Principes Latinorum , quæ omnia oſtendunt regimini mixto apud ipſos locum fuiſſe . Principibus (*Latinorum*) excitis, ipſum qui concilium indixerit , non adeſſe . *de Gabinis* : inde in concilia publica adhiberi (*Sextum Tarquinij filium*) . *nuſquam Senatulum , nuſquam arcanum paucorum congreſſum , tantopere laudatum recentiori ſcriptori , reperire eſt . ſubiungit Liuius* : inuiſam ſuperbiam regiam ciuibus . *an quiſquam notarit in Rege abſolutè imperante , abſolutam poteſtatem habente* ſuperbiam ? *nequaquam , cum in celſiſſimo faſtigio longè ſupra ciuium multitudinem ſit collocatus. non omittit Liuius Sextum à Gabinis belli ducem lectũ. ducẽ legere erat populi Gabini, qui carebant rege, conſiliumque in concilio capiebant . narrat poſtea , qua ratione Sextus Gabinos prodiderit tollendo è medio præſtantiores . Quod didicerat à patre* ſumma papauerum capita baculo decutiente. *qui nempe cupit abſolutè imperare, interficit aut pellit egregios viros, qui reſiſtere poſſunt , vt tradit Ariſtoteles. dolum etiam , quo vſus eſt in perniciem Gabinorum Sextus , improbat Liuius dum ait* : Minimè arte Romana fraude ac dolo aggreſſus eſt : *vt oſtendat eos , qui imminent ceruicibus liberorum hominum vti fraudibus . At , inquies , hoſtes erant Gabini , in hoſtes autem licet agere dolo . An*

enim

enim Liuius reijciet dolos aduersus hostes? respondeerim non videri fuisse bellum contra Gabinos. nam Tarquinius præferebat pacem, sub specie autem pacis misit filium Sextum, qui vrbem Gabinorum redegit fraude & dolo in potestatem patris. verum igitur est quod ait Liuius non esse vtendum dolo, & verum etiam licere vti dolo in hostem. addendum non cuiuis dolo etiam aduersus hostem, more Romano locum esse; nam Camillus detestatus est præceptorem Faliscorum, qui Principum filios in manus Romanorum tradere voluit. Non igitur fas fuit Sexto, cum amanter susceptus fuisset à Gabinis, eisque suam operam pollicitus fuisset, præter fidem fasque occidere præcipuos, vrbemque sub iugum mittere. Talia tamen monstra, quibus falluntur homines, commendantur ab illo qui suæ Reipublicæ fuit à secretis, cumque scriberet de Principe totus in eo fuit, vt fidem pelleret, perfidiam, crudelitatem inueheret. ò pestilentem scripturam quæ de genere humano tam malè meretur. sed reuertamur ad Tarquinium, qui vt simplices homines falleret, & specie pietatis religionisque sua tegeret scelera, velaretque Tyrannidem, magnificum construxit Ioui templum. laudandum studium erga rem diuinam, sed non interim opprimendi ciues, pellendi, occidendi egregij homines. nec enim amicè quæ conspirant seiungenda. Brutus autem vt tutus foret simulauit stultitiam sapienter. nam cum tyrannide qui delectantur, sapientes oderint, vt Domitianus qui philosophos vrbe exegit, pro sapientia induenda est stultitia. An ergo stultos omnes esse oportet sub sæuis Principibus?

hoc

hoc nequaquam fieri potest. respondendum est: saltem si fieri possit celanda virtus, celanda sapientia, cum immineat ob virtutes certissimum exitium. *ignauia autem tuta est, & sapientia appellatur sub talibus regibus, vt visum Tacito agenti de Nerone. Crispus sic tutus fuit, & euasit exitium sub Domitiano, vt videre est apud Iuuenalem, nam publicæ incolumitati noluit inpendere liberas voces. at perijt Thrasea quod sileret, quod Neroni insanienti non acclamaret. Siluerunt porrò sub Domitiano litteræ, cum quisque cuperet si posset fieri obliuisci eorum quæ nosset, ne forte loquens periret. hinc queritur grauissimus Tacitus tantum temporis perijsse egregijs hominibus per silentium, per otium, per ignauiam non voluntariam, sed necessariam.* Pauci, & vt ita dixerim non modò aliorum, sed etiam nostri superstites sumus exemptis è media vita tot annis, quibus iuuenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus. *bonus si fuisset Princeps Domitianus; mansisset Romæ; orâsset, edidisset libros Tacitus, cum autem sibi timeret, tot annos silendo absens transegit.*

De monumentis clarissimorum ingeniorum exustis, de perniciosis libris meritò flammæ traditis. Cap. II.

C*Onqueritur Tacitus IV Annal. de Cremutio Cordo accusato, quod Brutum & Cassium laudâsset, narratque Senatum* censuisse libros eius per ædiles

cremandos, *quamuis manserint* occultati & editi. *In principio autem vitæ Agricolæ*; legimus cum Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Heluidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modò auctores, sed in libros quoque eorum sæuitum, delegato Triumuiris ministerio, vt monumenta clarissimorum ingeniorum vrerentur. *Quandoque tamen cum laude combusti sunt codices, vt in actis Apostolorum cap. XIX.* Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. *Erant namque scripta perniciosa ad Magiam facientia. sic de Augusto Suetonius in eius vita cap. XXXI.* Quicquid fatidicorum librorum græci latiniq. generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur supra duo millia contracta vndique cremauit. *Plinius quoque refert exustos fuisse quosdam libros Numæ, qui videbantur soluere religionem. putarim autem prætulisse quidem nomen Numæ, sed verè Numæ non fuisse: nam Liuius memorat Commentarios eius Regis, ex quibus etiam post mortem petita nonnulla ad ordinanda Sacra. an simul dixeris scripsisse de ordinanda soluendaque religione? Nequaquam. imperatores censuerunt vrendos libros Arianorum, Porphyrianorum, quod oppugnarent veritatem. quantopere verò quamque immeritò Diocletianus vexauit Christianos, quorum libros sacros passim flammis addixit, qui tamen valde proderant, cum soluendo vetusto errori incumberent. Ita vides quosdam libros immeritò, quosdam meritò traditos Vulcano, vt*

quandoque boni viri supplicio absque causa afficiuntur, plectuntur autem meritò facinorosi.

An putarit Tacitus Liuium liberta te in scribenda historia excidisse? Cap. III.

AN *dicemus Liuium à Tacito recensitum inter eos, qui lib. rtate in scribenda historia exciderunt? affirmet forte aliquis; nam primo historiarum inquit:* postquam bellatum apud Actium magna illa ingenia cesserunt. *sed Liuius scripsit post Actiacam Augusti victoriam, pertigitque ad annum DCCXXLI quo mortuus est Drusus, vt patet ex Epitome. Ergò & ipse memorandus inter eos, qui cesserunt. Sed quod Liuius incorrupta libertate dederit operam veritati discere est ex eo, quia Augustus ob laudes quibus ornauit Pompeium, eum Pompeianum appellauit, teste Cremutio Cordo in IV. Annal. cap. XXXIV, vbi idem Liuius* eloquentiæ & fidei præclarus inprimis *dicitur, quod nequaquam protulisset Tacitus ore vtens Cremutij, nisi id veritati putasset consentaneum. Cum enim Cremutium vt eximium hominem memoret, quem etiam summis laudibus ornauit Seneca, absque dubio existimauit fide dignissimam esse orationem, quam relinquendæ vitæ certus habuit in Senatu. nec sileas Liuium, si credimus Cremutio Cordo, sæpe* vt insignes viros *nominâsse Brutum & Cassium, qui tamen hostes fue-*

runt Augusti ; adde videri omninò Tacitum recensuisse Liuium inter eos, qui liberè scripserunt, quandoquidem ait in primo historiarum post conditam vrbem *DCC & XX* prioris æui annos multi auctores retulerunt, dum res populi Romani memorabantur pari eloquentia & libertate. *Liuius autem pertigit ad annum DCCXXLI. in IV annalium postponit annales suos scripturæ eorum*, qui veteres populi Romani res composuere. ingentia illi bella memorabant. *absque dubio de Liuio quoque loquitur, cum præsertim in Agricola, Liuium* in ter ueteres auctores *numeret*, eloquentissimumque *appellet*.

Cur Cassius dictus vltimus Romanorum, non autem Brutus? Cap. IV.

IN *IV Annal. cap. XXXIV accusatus est (vt refert Tacitus) Cremutius Cordus, quod laudasset Brutum Cassium autem* vltimum Romanorum *vocasset. Cur tantum laudatus Brutus, at Cassius dictus vltimus Romanorum, cum tamen Princeps opprimendi Cæsaris extiterit Brutus, qui sola honestate impulsus tantum facinus est ausus, qui à Cicerone cum Cassio toties dictus Heros non minus quam Cassius. ob Brutum solum putarunt proceres posse non displicere conspirationem in Cæsarem. respondendum est, Brutum minus fuisse peritum rei militaris. at Cassius egregius fuit Dux & imperator,*

qui

qui poterat exercitus regere, par Antonio & cuicumque alij, vt videre est apud Plutarchum in vita Bruti. vltimus igitur Romanorum appellatus est à Cordo, quod & imperator esset strenuus, & bene de Republica sentiret, & putauerit sibi moriendum pro libertate. Moles igitur belli contra Augustum Cassio non Bruto incubuit. Lipsius tamen non absurdè putat eiusmodi elogium petitum à Cremutio ex verbis Bruti, qui mortuum Cassium sic nominauit. Cum verò Cremutius ageret de vtroque mortuo, forte ea de causa, quam ego attuli, Brutum tantum laudauit, at Cassium nouissimum Romanorum esse dixit.

IN TACITVM DIATRIBA XIII.

Qua ratione epicureiſmum excludat Tacitus: Cap. I.

CREDITAM *diuinam prouidentiam Tacito non pauca oſtendunt. nam ſæpe memorat fatum, quod ſtoiciſmum ſapit. de Veſpaſiano hiſtor. primo cap. X.* occulta lege fati, & oſtentis, ac reſponſis deſtinatum Veſpaſiano liberiſque eius imperium, poſt fortunam credidimus. *hiſt. ſecundo cap. I. de eodem non ſilentur* præſaga reſponſa. *hiſt. IV. cap. LXXXI. cupido Veſpaſiano adeundi ſacram ſedem, vt* ſu-

super rebus imperij consuleret: *vidit tunc Basilidem. idem historicus non semel prodigialia signa ingerit. Vaticinia, prodigia, fatum, eiusmodi alia absque dubio diuinam prouidentiam ostendunt, & Numen curare res hominum. nam Epicurei diuinationem spernunt, de prodigijs nihil tradunt, fatum explodunt Iosephus porrò, qui absque dubio cum Pharisæis non absimilibus Stoicorum sectæ sentiebat, fatum, vaticinia promit, moxque Epicureismum reijcit. de templo sic inquit lib. VII. cap. X. de bello Iud.* maximum tamen ex fato capiet solatium: quod vt animalibus, ita operibus locisque fatum sit ineluctabile. *in antiquit. lib. X. cap. XIV postquam prædictiones Danielis retulit inquit:* Epicureorum error coarguatur, qui prouidentiam è vita eijciunt, & Deo regimen rerum nolunt permittere, nec credunt vniuersitatem à beata illa, & immortali essentia vel conseruari vel gubernari, sed sine rectore & curatore mundum suopte impetu ferri asseuerant. *Mox:* Quamobrem dum Danielis vaticinia considero non possum non damnare istorum insciriam, qui Deo negant curæ esse res mortalium, quî enim fieri potuit, vt prophetijs eius responderet euentus, si temere in mundo gererentur omnia? *hæc Iosephus, vt egregius Theologus, & Philosophus. Cum autem multis in locis Tacitus de prodigijs agat, vnam narrationem hic expendere libet. Annal. XII. cap. XLIII.* Multa eo anno prodigia euenerunt, insessum diris auibus Capitolium. *tales sunt aues incendiariæ, bubones, hodie*

non-

nonnulli noctuam pro ominosa habent, quod nescio an rectè fiat, nam apud Athenienses auspicata erat, & sacra Mineruæ, quæ etiam videtur fuisse nuntia victoriæ ad Salaminam contra Persas obtentæ. in contrariam partem dices, dictam à nocte, quod ominosum videtur. ipsa decipit, & in exitium trahit alias aues. Quid referam communem opinionem hominum hac quidem tempestate? quibus prolatis sentiat quisque vt vult. Diris auibus addit Tacitus terræ motus, quibus prorutæ domus. Quid enim stabilius terra? annon ergò malum omen si concutiatur? an prodigijs quoque accensendum, quod sequitur: frugum quoque egestas in prodigium accipiebatur? *quoties elementa à suo instituto quodammodo aberrant, id ominosum. Egestas tamen & sterilitas non tam videtur esse signum calamitatis quam calamitas à prodigijs significata. subijcit Tacitus subuentum tamen rebus extremis* Deûm benignitate. *vides à Tacito* Dijs benignitatem *tribui. sed alibi inquit:* nulla Deûm cura. *quod non intelligendum more Epicuri, quasi dij non intelligant res humanas, nec subueniant non enim sensit cum Epicureis, sed indicat non semper Deum aut punire malos, aut auxilium ferre bonis. Annon quandoque videmus perditissimos homines impune sæuire, & exultare insultareq. bonis, bonos autem iacere? Dauid dicit penè motos suos pedes, cum videret malos florere, ait & ille moram interponi vltioni diuinæ, at compensari tarditatem supplicij grauitate. Ne igitur secum pugnet Tacitus, dum iam inquit:* Deûm benignitate, *iam:* nulla Deûm cura, *sic videtur explicandus.*

Ho-

Homines docti, duces exercituum. Cap. II.

AN litteræ reddunt ineptum hominem ad ducendos exercitus? Nequaquam. consule Romanam historiam, quis doctior Scipione Africano minore, sapientior Lælio? prudenter & fortiter militarunt. Quid referam Syllam, qui de rebus suis commentarios conscripsit? non omitto Cæsarem, summum suorum bellorum scriptorem. recensemus Asinium Pollionem, Messallam, Cassium, Brutum omnes eruditos. de Titi eruditione videndus Plinius in Præfatione. is quantus fuit imperator. quantus in doctrinis Adrianus, qui tam bene militauit. nec præteribo Marcum Philosophum debellatorem Quadorum, Marcomanorum. non omittam Septimium Seuerum. duos memorat Tacitus non ita notos, quos propterea apponam XII. annal. cap. XII. Ea tempestate Cassius cæteros præminebat peritia legum nam militares artes per otium ignotæ, industriosque ac ignauos pax in æquo tenet. attamen quantum sine bello dabatur, reuocare priscum moré, exercitare legiones. Ita dignum maioribus suis, & familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata. *eodem libro cap. XXVIII.* decretusque Pomponio triumphalis honos modica pars famæ eius apud posteros, *in quis carmina*.

Perpenduntur verba Taciti de Pompeio ingresso templum Iudæorum. Cap. II.

De *Iudæis Tacitus in V. hist. cap. IV.* effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant penetrali sacrauit. *locutus fuerat prius de grege asinorum agrestium. cap. IX.* Romanorum primus Cn. Pompeius Iudæos domuit: templumque iure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum nulla intus Deûm effigie vacuam sedem & inania sacra. *si effigies animalis sacrata est penetrali, cur postea ait nullam effigiem repertam in templo? Repugnantiæ accusatur Tacitus à Tertulliano*: ob eam gratiam consimilis bestię (onagri) effigiem consecrasse in quinto historiarum Tacitus. *Mox*: at enim idem Cornelius Tacitus refert Cn. Pompeium cum Hierusalem cœpisset propterea quod templum adisset speculandis iudaicæ religionis arcanis nullum illic reperisse simulachrum, & vtique si id colebatur quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur eo magis, quia nec verebantur extraneos arbitros, quamquam vana cultura. solis enim sacerdotibus adire licitum & conspectus cæterorum velo oppanso intercludebatur. *an suppetit ratio tollendæ repugnantiæ in Tacito? difficulter id præstari potest. Tantum posset dicere à fama vulgatum nullam effigiem repertam. famam*

illam autem non semper imò rarò respondere rei. aut forte assereret se asseruisse nullam Dei effigiem repertam, at non defuisse effigiem Onagri. Quæ tamen tollendæ contradictioni non videntur esse satis. Florus lib. III. cap. V. Hierosolyma defendere tentauere Iudæi; verum hæc quoque & intrauit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo cœlo, *quia multum auri in templo ob auro circumtectam arcam: An ergò prorsus* inania arcana, *vt inquit Tacitus? Certè aliqua ibi reperisse videtur, arcam effigiemque cherubin, de quibus S. Paulus cap. IX. Epist. ad Hebr.* Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum qui dicitur Sancta. post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum: aureum habens thuribulum & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Auron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superque eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium. *verum non omnia, quæ erant in priori templo reperta in secundo, quandoquidem quando agitur de euerso primo templo vasisque translatis in Babylonem, nulla fit mentio arcæ testamenti. quando etiam narratio instituitur de vasis Domini relatis ad templum construendum ab Aggæo, nulla fit mentio arcæ testamenti. Esdræ lib. I. cap. V.* vasa Dei aurea, & argentea, quæ Nabucodonosor tulerat de templo, & asportauerat ea in templum Babilonis, protulit Rex Cyrus. *talia continentur cap. se*

quenti, vt cogamur ignorare quid euenerit arcæ, cum eius nulla fiat mentio post templum dirutum, postque vasa translata in Babylonem. Iosephus quoque cum accuratè describat templum secundum auctum magnificentissimo & prorsus admirabili opere ab Herode, arcam prætterit. Eius verba sunt de bello Iudaico lib. VI. & prima quidem pars *ad XL* cubitos auulsa hæc tria mirabilia & prædicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & mensam, & thuribulum. septem vero lucernæ, stellas errantes significabant: tot enim ab ipso candelabro oriebantur. duodecim verò panes in mensas positi, signorum circulum atque annum. Thuribulum autem per tredecim odores, quibus replebatur, ex mari & inhospito, & inhabitabili, designabat omnia Dei esse deoque seruire. Intima verò templi pars *XX* cubitorum erat, discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum: inaccessa verò & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur sanctique sanctum vocabatur. *quando agit de spolijs, quæ delata sunt in triumpho Titi lib. VII. cap. XXIV.* spolia quidem passim ferebantur. eminebant autem ea quæ apud Hierosolyma in templo reperta, sunt. mensa aurea, & candelabrum similiter ex auro factum, post hæc portabatur lex Iudæorum nouissima spoliorum. *Nihil ergò in sancto sanctorum reperit Pompeius. neque extra sanctum sanctorum vidit effigiem. vnde intelligere est quædam fuisse in templo*

primo

primo, quæ defuerunt secundo. certe primum habuit effigies cherubin, quibus destitutum est secundum. hinc adeò factum, vt retulerit quidem Tacitus olim & à Mose sacratam effigiem Onagri, eam tamen non inuentam à Pompeio, ob vicissitudinem, cui per decursum temporum obnoxium fuit templum. sic quidem ad sui defensionem loqui posset Tacitus, at non propterea verum fuerit onagrum à Mose consecratum, cum constet quantopere Iudæi ab effigie animalium abhorrerent vnum Deum inuisibilem colentes. obseruandum porrò Tacitum, Florum, & Tertullianum adyta, arcana sacerdotibus solis patentia notasse & descripsisse in Iudæis. Ab arcanis autem non putat prorsus abfuisse ipsos Christianos Tertullianus, cum scribat in Apologetico cap. VI Immò à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis non vtique, cum vel ex forma omnibus mysterijs silentij fides adhibeatur. Samothracia, & Eleusinia reticentur, quanto magis talia quæ prodita matri humanam animaduersionem prouocabunt, dum diuina seruantur. *expendenda autē adhuc sunt verba Taciti, quando agit de Pompeio. nam inquit:* Romanorum primus Iudæos domuit. *si domiti sunt Iudæi parueruntque Romanis, quid factum vaticinio Iacobi Gen. XLIX.* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. *qui mittendus est hebraicè habetur Silo, quem Messiam interpretantur. per sceptrum significatur ius siue potestas. pro duce*

hebrai-

hebraicè habetur legislator. Iubet autem audire S. Iustinum in dialogo cum Tryphone Iudæo: non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux è femoribus eius, donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse erit expectatio gentium. id non de Iuda, sed de Christo dictum apparet. possum enim vobiscum contendere de huius loci lectione cum vos legatis, donec veniant quæ reposita sunt ei, quod aliter *LXX* reddiderunt, nempe sic, donec veniat, cui est repositum. *si domiti sunt Iudæi à Pompeio, videtur discessisse sceptrum ab ipsis tempore Pompeij longè antequam Christus seruator veniret. respondendum est, à Pompeio non fuisse redactam in prouinciam Iudæam. sic enim Florus*: dissidentibus de regno fratribus, arbiter factus regnare iussit Hircanum. Aristobulo, quia renuebat eam rem catenas dedit. *expendantur & illa in Tacito*: templumque iure victoriæ ingressus est. *nam victoria iure gentium transferebat omnia diuina & humana in potestatem victoris. hinc Iudæi ab Alexandro victore, cum Pontifex esset Iaddus, obtinuerunt, vt suis institutis possent vti, quasi penes victorem esset aliam religionem, si luberet, inferre. Certè Macedones græcos ritus græca numina intulerunt Ægypto deuictæ, paulatimque ritus veteres Ægyptiorum sublati sunt, aut saltem non tanti facti. iure igitur victoriæ putauit Pompeius sibi fas esse templum ingredi apud Liuium hæc leguntur lib. primo*: deditisne populum Collatinum, vrbem, agros, aq[illegible] minos, delubra, vtensilia, diuina hum[illegible]

nia in meam populique Romani potestatem? dedimus: at ego recipio.

Adduntur quædam ex Iosepho facientia ad caput præcedens. Cap. III.

Illustrandis ijs, quæ ex Tacito, Floro atque alijs prolata sunt capite præcedente, cum valde faciat auctoritas Iosephi in libris de antiquitatibus Iudæorum, lubet aliqua ad eiusmodi argumentum pertinentia depromere, vt intelligamus ingressum Pompeij in templum, & amissam libertatem à Iudæis, vtcunque tamen conseruata dignitate regia. Iosephus igitur lib. XIV. cap. VIII sic loquitur: cæsa enim est non mediocriter temli religio, humanis antehac nec vestigijs penetrati nec oculis. *sermo est illi de secundo templo, nam primum non solum fuerat penetratum, sed etiam dirutum. pergit Iosephus:* introgressus enim illud est Pompeius, & vna cum eo non p... ij & inspexerunt quæ nefas est videre nisi so... doribus, cumque intus
essent ex au... nsa ... ela... & pocula, &
odoramen... n... ia ... a in thesauris
sacræ pe... r... m... torum, nihil
...rum ... at... , se... oque sui simi-
fuit ... o... ig... ris virtutibus.
...il ... *...ter illa, quæ*
...eph ... re nullus ma-
...lo ... testetur se
... eius, Nicola-
um

runt Augusti. adde videri omninò Tacitum recensuisse Liuium inter eos, qui liberè scripserunt; quandoquidem ait in primo historiarum post conditam vrbem *DCC & XX* prioris æui annos multi auctores retulerunt, dum res populi Romani memorabantur pari eloquentia & libertate. *Liuius autem pertigit ad annum DCCXXLI. in IV annalium postponit annales suos scripturæ eorum*, qui veteres populi Romani res composuere. ingentia illi bella memorabant. *absque dubio de Liuio quoque loquitur, cum præsertim in Agricola Liuium* inter ueteres auctores *numeret*, eloquentissimumque *appellet*.

Cur Cassius dictus vltimus Romanorum, non autem Brutus? Cap. IV.

IN IV Annal. cap. XXXIV accusatus est (vt refert Tacitus) Cremutius Cordus, quod laudasset Brutum Cassium autem vltimum Romanorum *vocâsset. Cur tantum laudatus Brutus, at Cassius dictus vltimus Romanorum, cum tamen Princeps opprimendi Cæsaris extiterit Brutus, qui sola honestate impulsus tantum facinus est ausus, qui à Cicerone cum Cassio toties dictus Heros non minus quam Cassius. ob Brutum solum putarunt proceres posse non displicere conspirationem in Cæsarem. respondendum est, Brutum minus fuisse peritum rei militaris. at Cassius egregius fuit Dux & imperator,* qui

qui poterat exercitus regere, par Antonio & cuicumque alij, vt videre est apud Plutarchum in vita Bruti. vltimus igitur Romanorum appellatus est à Cordo, quod & imperator esset strenuus, & bene de Republica sentiret, & putauerit sibi moriendum pro libertate. Moles igitur belli contra Augustum Cassio non Bruto incubuit. Lipsius tamen non absurdè putat eiusmodi elogium petitum à Cremutio ex verbis Bruti, qui mortuum Cassium sic nominauit. Cum verò Cremutius ageret de vtroque mortuo, forte ea de causa, quam ego attuli, Brutum tantum laudauit, at Cassium nouissimum Romanorum esse dixit.

IN TACITVM DIATRIBA XIII

Qua ratione epicureismum excludat Tacitus: Cap. I.

CREDITAM diuinam prouidentiam Tacito non pauca ostendunt. nam sæpe memorat fatum, quod stoicismum sapit. de Vespasiano histor. primo cap. X. occulta lege fati, & ostentis, ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium, post fortunam credidimus. *hist. secundo cap. I. de eodem non silentur* præsaga responsa. *hist. IV. cap. LXXXI. cupido Vespasiano adeundi sacram sedem, vt* su-

super rebus imperij consuleret: *vidit tunc Basilidem. idem historicus non semel prodigialia signa ingerit. Vaticinia, prodigia, fatum, eiusmodi alia absque dubio diuinam prouidentiam ostendunt, & Numen curare res hominum. nam Epicurei diuinationem spernunt, de prodigijs nihil tradunt, fatum explodunt Iosephus porrò, qui absque dubio cum Phariseis non absimilibus Stoicorum sectæ sentiebat, fatum, vaticinia promit, moxque Epicureismum reijcit. de templo sic inquit lib. VII. cap. X. de bello Iud.* maximum tamen ex fato capiet solatium: quod vt animalibus, ita operibus locisque fatum sit ineluctabile. *in antiquit. lib. X. cap. XIV postquam prædictiones Danielis retulit inquit:* Epicureorum error coarguatur, qui prouidentiam è vita eijciunt, & Deo regimen rerum nolunt permittere, nec credunt vniuersitatem à beata illa, & immortali essentia vel conseruari vel gubernari, sed sine rectore & curatore mundum suopte impetu ferri asseuerant. *Mox:* Quamobrem dum Danielis vaticinia considero non possum non damnare istorum inscitiam, qui Deo negant curæ esse res mortalium, quî enim fieri potuit, vt prophetijs eius responderet euentus, si temere in mundo gererentur omnia? *hæc Iosephus, vt egregius Theologus, & Philosophus. Cum autem multis in locis Tacitus de prodigijs agat, vnam narrationem hic expendere lubet. Annal. XII. cap. XLIII.* Multa eo anno prodigia euenerunt, insessum diris auibus Capitolium. *tales sunt aues incendiariæ, bubones, hodie*

nonnulli noctuam pro ominosa habent, quod nescio an rectè fiat. nam apud Athenienses auspicata erat, & sacra Mineruæ, quæ etiam videtur fuisse nuntia victoriæ ad Salaminam contra Persas obtentæ. in contrariam partem dices, dictam à nocte, quod ominosum videtur. ipsa decipit, & in exitium trahit alias aues. Quid referam communem opinionem hominum hac quidem tempestate? quibus prolatis sentiat quisque vt vult. Diris auibus addit Tacitus terræ motus, quibus prorutæ domus. Quid enim stabilius terra? annon ergò malum omen si concutiatur? an prodigijs quoque accensendum, quod sequitur: frugum quoque egestas in prodigium accipiebatur? *quoties elementa à suo instituto quodammodo aberrant, id ominosum. Egestas tamen & sterilitas non tam videtur esse signum calamitatis quam calamitas à prodigijs significata. subijcit Tacitus subuentum tamen rebus extremis* Deûm benignitate. *vides à Tacito* Dijs benignitatem *tribui. sed alibi inquit:* nulla Deûm cura. *quod non intelligendum more Epicuri, quasi dij non intelligant res humanas, nec subueniant non enim sensit cum Epicureis, sed indicat non semper Deum aut punire malos, aut auxilium ferre bonis. Annon quandoque videmus perditissimos homines impune sæuire, & exultare insultareq. bonis, bonos autem iacere? Dauid dicit penè motos suos pedes, cum videret malos florere, ait & ille moram interponi vltioni diuinæ, at compensari tarditatem supplicij grauitate. Ne igitur secum pugnet Tacitus, dum iam inquit:* Deûm benignitate, *iam:* nulla Deúm cura, *sic videtur explicandus.*

Ho-

Homines docti, duces exercituum.

Cap. II.

AN litteræ reddunt ineptum hominem ad ducendos exercitus? Nequaquam. consule Romanam historiam, quis doctior Scipione Africano minore, sapientior Lælio? prudenter & fortiter militarunt. Quid referam Syllam, qui de rebus suis commentarios conscripsit? non omitto Cæsarem, summum suorum bellorum scriptorem. recensemus Asinium Pollionem, Messallam, Cassium, Brutum omnes eruditos. de Titi eruditione videndus Plinius in Præfatione. is quantus fuit imperator. quantus in doctrinis Adrianus, qui tam bene militauit. nec præteribo Marcum Philosophum debellatorem Quadorum, Marcomanorum. non omittam Septimium Seuerum. duos memorat Tacitus non ita notos, quos propterea apponam XII. annal. cap. XII. Ea tempestate Cassius cæteros præminebat peritia legum nam militares artes per otium ignotæ, industriosque ac ignauos pax in æquo tenet. attamen quantum sine bello dabatur, reuocare priscum morẽ, exercitare legiones. Ita dignum maioribus suis, & familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata. *eodem libro cap. XXVIII.* decretusque Pomponio triumphalis honos modica pars famæ eius apud posteros, *in quis carmina*.

Perpenduntur verba Taciti de Pompeio ingresso templum Iudæorum. Cap. II.

DE *Iudæis Tacitus in V. hist. cap. IV.* effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant penetrali sacrauit. *locutus fuerat prius de grege asinorum agrestium. cap. IX.* Romanorum primus Cn. Pompeius Iudæos domuit: templumque iure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum nulla intus Deûm effigie vacuam sedem & inania sacra. *si effigies animalis sacrata est penetrali, cur postea ait nullam effigiem repertam in templo? Repugnantiæ accusatur Tacitus à Tertulliano:* ob eam gratiam consimilis bestię (onagri) effigiem consecrasse in quinto historiarum Tacitus. *Mox:* at enim idem Cornelius Tacitus refert Cn. Pompeium cum Hierusalem cœpisset propterea quod templum adisset speculandis iudaicæ religionis arcanis nullum illic reperisse simulachrum, & vtique si id colebatur quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur eo magis, quia nec verebantur extraneos arbitros, quamquam vana cultura. solis enim sacerdotibus adire licitum & conspectus cæterorum velo oppanso intercidebatur. *an suppetit ratio tollendæ repugnantiæ in Tacito? difficulter id præstari potest. Tantum posset dicere à fama vulgatum nullam effigiem repertam. famam*

niam autem non ſemper imò rarò reſpondere rei. aut forte aſſereret ſe aſſeruiſſe nullam Dei effigiem repertam, at non defuiſſe effigiem Onagri. Quæ tamen tollendæ contradictioni non videntur eſſe ſatis. Florus lib. III. cap. V. Hieroſolyma defendere tentauere Iudæi: verum hæc quoque & intrauit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens ſub aureo cœlo, *quia multum auri in templo ob auro circumtectam arcam: An ergò prorſus* inania arcana, *vt inquit Tacitus? Certè aliqua ibi reperiſſe videtur, arcam effigiemque cherubin, de quibus S. Paulus cap. IX. Epiſt. ad Hebr.* Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum qui dicitur Sancta. poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum: aureum habens thuribulum & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Auron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuperque eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium. *verum non omnia, quæ erant in priori templo reperta in ſecundo, quandoquidem quando agitur de euerſo primo templo vaſiſque tranſlatis in Babylonem, nulla ſit mentio arcæ teſtamenti, quando etiam narratio inſtituitur de vaſis Domini relatis ad templum conſtruendum ab Aggæo, nulla ſit mentio arcæ teſtamenti. Eſdræ lib. 1. cap. V.* vaſa Dei aurea, & argentea, quæ Nabucodonoſor tulerat de templo, & aſportauerat ea in templum Babilonis, protulit Rex Cyrus. *talia continentur cap. ſe*

quenti, ut cogamur ignorare quid euenerit arcæ, cum eius nulla fiat mentio post templum dirutum, postque vasa translata in Babylonem. Iosephus quoque cum accuratè describat templum secundum auctum magnificentissimo & prorsus admirabili opere ab Herode, arcam præterit. Eius verba sunt de bello Iudaico lib. VI. & prima quidem pars *ad XL* cubitos auulsa hæc tria mirabilia & prædicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & mensam, & thuribulum. septem vero lucernæ, stellas errantes significabant: tot enim ab ipso candelabro oriebantur. duodecim verò panes in mensas positi, signorum circulum atque annum. Thuribulum autem per tredecim odores, quibus replebatur, ex mari & inhospito, & inhabitabili, designabat omnia Dei esse deoque seruire. Intima verò templi pars *XX* cubitorum erat, discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum: inaccessa verò & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur sanctique sanctum vocabatur. *quando agit de spolijs, quæ delata sunt in triumpho Titi lib. VII. cap. XXIV.* spolia quidem passim ferebantur. eminebant autem ea quæ apud Hierosolyma in templo reperta, sunt. mensa aurea, & candelabrum similiter ex auro factum, post hæc portabatur lex Iudæorum nouissima spoliorum. *Nihl ergò in sancto sanctorum reperit Pompeius. neque extra sanctum sanctorum vidit effigiem. vnde intelligere est quædam fuisse in templo*

primo

primo, quæ defuerunt secundo. certe primum habuit effigies cherubin, quibus destitutum est secundum. hinc adeò factum, vt retulerit quidem Tacitus olim & à Mose sacratam effigiem Onagri, eam tamen non inuentam à Pompeio, ob vicissitudinem, cui per decursum temporum obnoxium fuit templum. sic quidem ad sui defensionem loqui posset Tacitus, at non propterea verum fuerit onagrum à Mose consecratum, cum constet quantopere Iudæi ab effigie animalium abhorrerent vnum Deum inuisibilem colentes. obseruandum porrò Tacitum, Florum, & Tertullianum adyta, arcana sacerdotibus solis patentia notasse & descripsisse in Iudæis. Ab arcanis autem non putat prorsus abfuisse ipsos Christianos Tertullianus, cum scribat in Apologetico cap. VI Immò à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis non vtique, cum vel ex forma omnibus mysterijs silentij fides adhibeatur. Samothracia, & Eleusinia reticentur, quanto magis talia quæ prodita matri humanam animaduersionem prouocabunt, dum diuina seruantur. *expendenda autē adhuc sunt verba Taciti quando agit de Pompeio. nam inquit:* Romanorum primus Iudæos domuit. *si domiti sunt Iudæi parueruntque Romanis, quid factum vaticinio Iacobi Gen. XLIX.* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. *qui mittendus est hebraicè habetur Silo, quem Messiam interpretantur. per sceptrum significatur ius siue potestas. pro duce*

hebrai-

hebraicè habetur legislator. Iubet autem audire S. Iustinum in dialogo cum Tryphone Iudæo : non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux è femoribus eius, donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse erit expectatio gentium. id non de Iuda, sed de Christo dictum apparet. possum enim vobiscum contendere de huius loci lectione cum vos legatis, donec veniant quæ reposita sunt ei, quod aliter *LXX* reddiderunt, nempe sic, donec veniat, cui est repositum. *si domiti sunt Iudæi à Pompeio, videtur discessisse sceptrum ab ipsis tempore Pompeij longè antequam Christus seruator veniret, respondendum est, à Pompeio non fuisse redactam in prouinciam Iudæam. sic enim Florus :* dissidentibus de regno fratribus, arbiter factus regnare iussit Hircanum. Aristobulo, quia renuebat eam rem catenas dedit. *expendantur & illa in Tacito :* templumque iure victoriæ ingressus est. *nam victoria iure gentium transferebat omnia diuina & humana in potestatem victoris. hinc Iudæi ab Alexandro victore, cum Pontifex esset Iaddus, obtinuerunt, vt suis institutis possent vti, quasi penes victorem esset aliam religionem, si luberet, inferre. Certè Macedones græcos ritus græca numina intulerunt Ægypto deuictæ, paulatimque ritus veteres Ægyptiorum sublati sunt, aut saltem non tanti facti. iure igitur victoriæ putauit Pompeius sibi fas esse templum ingredi. apud Liuium hæc leguntur lib. primo :* deditisne vos, populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina humanaque omnia

nia in meam populique Romani potestatem? dedimus: at ego recipio.

Adduntur quædam ex Iosepho facientia ad caput præcedens. Cap. III.

ILlustrandis ijs, quæ ex Tacito, Floro atque alijs prolata sunt capite præcedente, cum valde faciat auctoritas Iosephi in libris de antiquitatibus Iudæorum, lubet aliqua ad eiusmodi argumentum pertinentia depromere, vt intelligamus ingressum Pompeij in templum, & amissam libertatem à Iudæis, vtcunque tamen conseruata dignitate regia. Iosephus igitur lib. XIV. cap. VIII sic loquitur: cæsa enim est non mediocriter templi religio, humanis antehac nec vestigijs penetrati nec oculis. *sermo est illi de secundo templo, nam primum non solum fuerat penetratum, sed etiam dirutum. pergit Iosephus:* introgressus enim illud est Pompeius, & vna cum eo non pauci alij & inspexerunt quæ nefas est videre nisi solis sacerdotibus, cumque intus essent ex auro mensa & candelabrum, & pocula, & odoramentorum magna copia præterea in thesauris sacræ pecuniæ circiter duo millia talentorum, nihil horum præ pietate attigit, sed hic quoque sui similis fuit & nihil commisit indignum cæteris virtutibus. *Nihil igitur Pompeius reperit in adytis præter illa, quæ Iosephus enumerat, quo teste in eiusmodi re nullus magis locuples reperiri potest, cum præsertim testetur se vidisse scriptores eorum, quæ gessit Pompeius, Nicolaum*

cum Damascenum, Strabonem Cappadocem, Romanaque conditorem historiæ T. Liuium. de Iudæa autem tunc subiugata quid profert Iosephus? sic loquitur ibidem: Pompeius Hierosolyma pop. Rom. fecit stipendiaria. *paulo post:* tum primum libertatem amisimus. *loquitur de tempore post Babylonicam captiuitatem, tunc enim prorsus excisum fuit templum, diruta vrbs pergit Iosephus dicendo Iudæos tunc* subiectos Romanorum imperio. *At non prorsus exciderunt regno, nam ait:* & regnum, quo prius Pontificale genus honestabatur ad Plebeios translatum est homines. *vnde discere est Iudæam subactam nec prorsus redactam in prouinciam, nec tamen retinuisse libertatem supremumque ius regni: nam non caruit deinceps regibus, & tamen tributaria fuit, accepitque magistratus Romanos, vt constat ex Iosepho eiusmodi magistratus recensente. sed annon à Iuda translatum fuerit regnum, cum Leuitæ ante tempora Pompeij reges essent? respondendum est tribum Iudæ accepisse eos, qui erant ex tribu Leui, omnesque dictos Iudæos. hinc qui erant Leuitæ in tribu Iudæ poterant censeri ex tribu Iudæ. Ita Iudas non prorsus visus est excidisse regno.*

IN

IN TACITVM DIATRIBA XIV.

Qua ratione promouerit absolutum regnum Tarquinius? Cap. I.

NE quid ausit plebs, absolutè qui imperant, lubenter eam ita occupant, vt erigi nequeat, neque quicquam nouare, quod reperire est apud Aristotelem de Regibus Ægypti, qui construxerunt barbarum in morem pyramidas, vt plebs abiectè humilis eiusmodi in opere detineretur. Sic quoque se gessit Tarquinius superbus. Liuius lib I. minus tamen plebs grauabatur, se templa Deúm exçdificare manibus suis, quę

 post

posthac & ad alia vt specie minora, sic laboris aliquanto maioris traducebatur opera, foros in circo faciendos, cloacamque maximam, receptaculum omnium purgamentorum vrbis, sub terram agendam. *deinceps*: popularium animos infestos, quod se in fabrorum ministerio, ac seruili tandiu habitos opere ab rege indignabantur. *hinc Brutus ad populum Romanorum memorauit* miserias & labores plebis in fossas cloacasque exhauriendas demersæ. *Ita consulebat suis rationibus Tarquinius.*

Ob libertatem institutam commendatus Brutus. Cap. II.

S*I regia dominatio adeò excellit præ temperato regimine, præque Republica constituta ex duabus tribusque formis, si tantoperè commendatur regnum, & regis absoluta potestas, cur immortali laude ab omnibus historicis scriptoribusque rerum Romanarum ornatur Brutus, qui* libertatem & consulatum instituit, *vt narrat Tacitus? Ergòne tantopere laborarunt in immutando regimine Romani, vt sibi deinceps peius esset? vt euerterent quod adeò prodesset, inueherentque quod incommodaret? grauissimus Polybius docet Lycurgum ratione assecutum, quomodo constituenda esset optima respublica, florens libertate. de Romanis autem ita loquitur*: Romani etsi in ordinando patriæ statu eundem

dem adepti sunt finem (*cum Lycurgo*) non tamen ratiocinatione vlla eò sunt ducti, sed per certamin multa, & rerum discrimina iactati, vt quod eta vtilius eligerent, proprijs semper casibus edocti. *Cur verò præ omnibus Lycurgus à Polybio commendatur? quia inuenit rationem conseruandi libertatem, qua nil desiderabilius, ait enim:* Lycurgus hoc pacto constituta republica Lacedæmonijs libertatem diutius conseruauit, quam sit ab vllo populo nobis cognito factum. *hinc euanescit friuola quorundam ratio extollentium puram Monarchiam, quod diuturnior sit, soleatque esse. At satius videtur esse non tam diu esse, modò alicui bene sit. dixit ille:*

Non est viuere vita, sed valere.

An commendanda Monarchia Assyriorum & scytharum ob diuturnitatem? At quis nescit ab Aristotele einsmodi Monarchias absolutas nequaquam commendatas quod Barbari Reges seruiliter sibi iuberent subesse homines? Num quandò de regimine agitur petenda exempla à Barbaris? nequaquam. Nonne illi ipsi qui diuturnitatem barbararum Monarchiarum commendant, fatentur moribus hominum magis esse consentaneum temperatum regimen, quam sit absolutum? & tamen fatentur temperatum non solere esse tam diuturnum.

An sub Tiberio sua constaret Senatui libertas? Cap. III.

ERatne liber Senatus, & liberè proferebat sententiam sub Tiberio, aut seruiebat? fuisse liberum videntur nonnulla ostendere, nam diu abfuit vrbe, latens Capreis. tunc certè non videbatur imperator astutus cauillari verba Patrum, eisque fibulam imponere. adde exclamâsse ipsum offensum assentatione, non absque ira: ò homines natos ad seruiendum; *quasi ipsi placeret Senatoria in dicendo libertas. Tertullianus ait Tiberium locutum in Senatu de Christo Seruatore nostro referendo inter Deos cum prærogatiua sui suffragij. quod tamen non obtinuit. nec enim legimus à Romanis inter Deos relatum Christum Dominum nostrum, quod tamen maximè cupiebat Tiberius, vt narrat Tertullianus. Quis dicat caruisse libertate Senatum? apud Tacitum toties in Senatu coram ipso Tiberio contrarijs orationibus certatum est, quæ res admodum placebat Imperatori. voluit igitur suam tanto consessui constare libertatem. At multa clamant non fuisse libera sub Tiberio Senatorum suffragia. nam statim in primo Annalium refert Tacitus offensum fuisse verbis Senatorum Tiberium singulorumque dicta notasse, altamque in memoriam dimisisse dum abfuit egit cum Senatu per epistolas, quibus imperabat potius, quam suadebat. Seianus etiam prapotens apud Tiberium nihil non extorquebat licet inuito Senatui. Annon contra animi sui sententiam*

etiam Senatus præclarissimi viri Cremutij Cordi annales damnauit? Singula quid memorem? Nunc respondendum est Tiberium callidissimum Principem voluisse videri relinquere Senatui libertatem, cum tamen vellet eum seruire patiebatur igitur Senatores liberè loqui in ijs, quæ vim imperij, & potestatem summam non attingebant. vbi autem agebatur de tollendo è medio aliquo excellente viro, quem oderat Tiberius, prorsus parere cogebantur, & voluntati Tiberianæ morigeri esse, vbi proponebatur negotium attingens arcana Cæsareæ potestatis, omnino obsequendum erat.

Si pauculi congredientes inter se diffideant, quid agendum Principi? Cap. IV.

AB ijs, qui tantopere arcanum paucorum congressum & Senatulum præ Senatu, præque magna procerum multitudine Regibus, & principibus tantopere commendant, velim perpendi, non rarò eos diffidere. qua ratione tunc ferendum auxilium Reipublicæ, si Princeps ipse negotia negligat, aut laboret inscitia rerum ciuilium? Nullum videtur tunc suppetere remedium. habemus insigne exemplum apud Tacitum Annal. XII. cap. 1. Maximè ambigebatur inter Lolliam Paulinam & Iuliam Agrippinam huic Pallas, illi Callistus fautores aderant at Ælia Petina è familia Tuberonum Narcisso fouebatur. ipse modò huc, modò illuc, vt quemq. suadentium audierat promptus discordantes in concilium vocat, ac promere sententiam, ac adijcere ratio-

nes

nes iubet. *præualuit Agrippina pessima fœmina, quæ noxia valde fuit rei Romanæ, sustulit Claudium, Britannicum perdidit, ceruicibusque Romanorum imposuit sæuum Neronem sed inquies diffidere etiam senatores, & scindi in contraria studia. quid tunc agendum Principi? non peccauerit ipse imprudentia si frequentiora suffragia sequatur. Cur enim omni seculo occultis suffragijs grauissima negotia fuerunt transacta, postquam diu multumque certatum est declamando in vtramque partem, imò in varias sententias differendo? Ratio ergò colligendorum, numerandorumque suffragiorum, qua nihil vsitatius semper fuit in iudicijs, in deliberationibus, in electionibus, explodit reijcitque apertissimè eos, quibus placet rempublicam, salutem ciuilem, incolumitatem prouinciæ paucorum arcano congressui committere. Nam si citius & melius à paucis res transiguntur, cur seculorum consensus magna diligentia, non exigua difficultate conuocare amauit magnum eximiorum virorum numerum?*

IN

IN TACITUM DIATRIBA XV.

LECTORI S.

MENS erat, cum cœpisset typographus meam ad Famiani historiam Belgicam exercitationem excudere, ipsam solam euulgare. sed dum excuditur, non pauci à superuacanea quorundam diligentia iniecti sunt animo meo scrupuli, vt volens nolens protraxerim editionem. Eiusmodi autem mora ne Chalcographo obesset, mihi enixa vnam atque alteram in Tacitum Diatribam, non alio ordine conscriptas, quam fors legenti offerens Tacitum desultorie ingessit. nec tamen adhuc, an lucem aspicere posset aut deberet aut etiam auderet exercitatio, liquere. hinc alia diatribarum in eundem incomparabilem scriptorem surrexit seges prope incogitanti, aut saltem molestæ cogitationi inuolutum animum secum ipso perplexarier sentienti. Re tandem eò deducta, vt reuocari, retractariq. nequiret, in Tacitum calamo eas laxaui habenas, quæ sectarentur vestigia iusto incessu, quem signabant ipsa scripta Corneliana frustra à recentiori scriptore impetita, quæ quò magis in varias versantur partes, suauiorem diffundunt sapientiæ ciuilis odorem. Quas igitur, lector, volvis Diatribas eæ promouent gradum, vt iubet ipse Dictator Cornelius, quibus forte propediem accedent recitationes à me, dum publicè tantum historicum interpretor, compositæ. Vale.

An

An frequenter in antiquis memorijs recensendis lapsus fuerit Tacitus? Cap. I.

ANTIQVITATVM Romanarum (nedum de vetustate græcorum, aliarumque nationum loquar) thesaurum licet appellare scripta Taciti; multoties enim repetens rem ab origine summa cum diligentia deducit breuiter ad sua vsque tempora. in quibus quidem memorijs legendis si quid aliquando legeretur, quod non responderet omni ex parte reliquis scriptoribus, non propterea inscitia antiquitatis tanto scriptori foret impingenda. Reprehensor tamen eius vult nobis persuadere Tacitum totum intentum dandis præceptis ciuilibus, minus diligenter indagasse antiqua instituta populi Romani. Quin antequam aliqua promat, quæ putat non esse veritati antiquariæ consentanea, inquit, eum plerumque calliditatis potius, quam veritatis rationem habuisse. quod vt probet narrat à Tacito omissos duos Imperatores ex familia Furij Camilli. At hic error (si error est) non ad calliditatem referendus, sed ad diligentiam non adhibitam lapsumque memoriæ, non repetentis ex vetustate, quæ reperiri poterant. sed perpendamus sigillatim errores, quos in historia obijcit reprehensor Tacito. Quando Tacitus ait post Reciperatorem vrbis Camillum eiusque filium imperatoriam laudem penes alias familias fuisse, videtur exponendus de notissima gloria; nam Ca-

milli tunc cum pelleret Gallos prorsus illustre nomen. deinceps decora militiæ insignia penes alios, Cornelios scilicet, similesque. non igitur videtur ignorasse Tacitus ex gente Camilli aliquos fuisse claros militia, (quorum duos recensuit ante reprehensorem Taciti Lipsius) sed indicat longè clarissimos fuisse duces in alijs familijs. reprehenditur deinceps Tacitus (quod tamen erratum ante reprehensorem notarat Lipsius) quod dixerit nisi Syllam & Augustum auxisse pomærium, cum tamen Cæsar id auxerit. Suetonius accuratus scriptor nihil ea de re in Cæsare. suspicatur ergò Lipsius cogitasse Cæsarem augere pomærium, sed non perfecisse. culpatur rursus Cornelius, quod minorum gentium senatores tribuerit Bruto. sed nouum non est, vt de initio rerum quando agitur diuersi authores nominentur. nam & illi dicuntur authores, qui rem aliquam valde illustrarunt. Certè animarum transmigratio tribuitur Pythagoræ, cum eam videatur accepisse ab Ægyptijs. Lipsius existimat Tacitum secutum aliquem auctorem, licet hodie non extet ait etiam adeundum Onuphrium. nec præterit Epistolam Ludouici Viuis, qui aliter legit verba Taciti, vt Brutus dicatur fuisse auctor Senatorum non minorum, sed conscriptorum. Epistolam autem Viuis legere licet apud Canterum in nouis lectionibus. At cur Tacitus non inuenit equestrem Fortunam Romæ, cum constet fuisse, quod docet etiam Lipsius, qui suspicari nos posse asserit consumptam incendio quamuis Victor eam ponat in regione nona vrbis. hæc strictim de erroribus antiquarijs, quos ex Lipsio sumptos impegit Tacito reprehensor.

Non

Non Tacitum, non nostros historicos religionis vnicum tantum esse vsum, vt contineantur in officio populi, dicere Cap. II.

ACcusatur à recentiore scriptore Tacitus, quod inter narrandum apertè admoneat Religionem vsui demum esse principibus ad populos continendos: ideoque ad firmamentum potentiæ assumi iuxta ac deponi, *hac non video vbi dixerit Tacitus: proferenda namque erant verba, quibus historicus testetur religionem esse inuentum callidorum hominum ad continendos populos in obedientia. Quin imò satis superque pluribus locis ostendit Tacitus se valde addictum religioni (qualiscumque esset tunc, certè non vera) Romanorum. ideò tantopere auersatur Iudæos, & Christianos, vt videre est in quinto historiarum, & vbi incendium vrbis Romæ describit. quam accuratè recenset id quod euenit Vespasiano, cum esset Alexandriæ. conqueritur valde de incenso Capitolio, tãquam de maximo scelere, de cæde Galbæ commissa in conspectu Capitolij, & prope templa. quam accurate describit dedicationem Capitolij. ait Germanicum Augurem noctu somniasse sanguine aspersam prætextam, & feliciter pugnasse cum dixisset militibus: irent, sequerentur numina legionum scilicet sex aquilas quas vidit, cum duceret in hostem.*

hæc plurimaque alia clarissimè ostendunt non putasse Tacitum inuentum hominum esse Religionem. At præter Tacitum recentior scriptor adhuc grauius accusat nostrates historicos, quasi apertè admoneant religionem tantum facere ad continendos populos, sentiantque religionem extra eiusmodi vsum nihil esse. sed ego, cum legerim historicos recentiores, fateor apud nullum tale quid mihi lectum, Quod si forte vnus, qui tamen non est adeò recens, aliquid huiusmodi protulit, homo pessimus, & quem omnes magno consensu detestantur veluti Tyrannorum magistrum impudentissimum, id per iniuriam non leuem impingitur reliquis viris grauissimis, & de Christiana Catholica pietate bene meritis, e quorum numero non deest, qui conqueritur de ijs, qui cum Curios simulent, & præferant suis consilijs, & actis maximum affectum erga religionem, interim pietate verbisque pietatem spirantibus vtuntur ad potentiam augendam, ad corradendam pecuniam, ad vexandos populos: cum enim pulcherrimè loquantur, & maximè pij velint videri, turpissimè operantur. qua vafritie & simulatione nequaquam vterentur, si ex animo totoque pectore colerent Deum, & verè pij essent. Qui autem historicus conqueritur de huiusmodi astutia, subdolaque fingendi ratione, optimè, vt puto, de religione sentit, & de religione bene meretur, dum detestatur eos, qui abutuntur religione, vt ambitioni, & auaritiæ inseruiant. Religio enim habet testem Deum, & iubet vt omnia candidè suscipiantur

&

& verbis facta respondeant, adhæreatur Deo non potentiæ & lucri causa, sed quia par est, vt ipse tamquam omnium rerum conditor à nobis colatur corde & ore. Non omiserim autem dicere aliquos dum de religionis initio agunt minus verè dixisse à Numa inuentam religionem, vt haberet morigeros Romanos, Numamque esse principem politicorum (quos nonnulli atheos appellant) fingentium cultum Dei, & religionem, vt regnent. Nam Numa auxit quidem res sacras Romæ, sed non excogitauit omnia. Quis enim nescit Albanos, & Alba profectum Romulum cum multis proceribus habuisse ritus, & cultum deorum? Qui inspexit, & obiter etiam perlegit vitam Romuli id ignorare, & negare non potest. Cum enim Historia temporum referat quamlibet nationem habuisse res sacras, nemo asseret à vafris hominibus regnandi causa inuentam religionem. Quam meam obseruationem vt & reliquas vestro iudicio obnoxias facio ò magnæ animæ Leo Allati & Gabriel Naudæe.

An Suetonius sæpe redarguerit Tacitum? Cap. III.

NON deest inter recentiores scriptores qui dicat Tacitum non rarò à Suetonio redargui, ac præsertim cap. XXI. quando ait: non ignoro aliquos tradidisse.

Quod

Quod an probari argumentis claris possit, nescio: nam etsi sit diuersitas in nonnullis inter Tacitum, & Suetonium, num ex eo colligendum à Suetonio redargui Tacitum? nam vix est reperire duos historicos, qui in narrandis rebus ijsdem non sint aliquatenus varij. nec constat opera Taciti edita fuisse antequam Suetonius sua ederet. Floruit vterque sub Traiano fuitque familiaris Plinio, quamuis non negem videri fuisse seniorem Tacitum, & sciam ad Hadrianum peruenisse Suetonium. videntur ergò eodem ferè tempore scripsisse Tacitus & Suetonius, vt probabile sit nequaquam annales Taciti visos à Suetonio iam euulgatos, cum de duodecim Cæsaribus scriberet. Nec verisimile est Suetonium, cum indigeret amicitia Plinij maximi facientis Tacitum ausum fuisse tantum hominem, quem omnes admirabantur, vt constat ex Epistolis eiusdem Plinij, voluisse reprehendere. Nec omittendum aliquot historicos versatos fuisse in manibus eruditorum, cum scriberet Suetonius & ab ipso lectos, qui floruerant ante Tacitum. nam in Caligula cap. VIII. citat Cn. Lentulum Getulicum, & Plinium secundum eorumque opinionem de loco nati Caligulæ confutat. cap. XVI. eiusdem Caligulæ facit mentionem historicorum Titi Labieni, Cremutij Cordi, Cassij Seueri. Rursus cap. VIII. vitæ Caligulæ habet hæc verba Qui res Augusti memoriæ mandarunt. *ex quibus colligere est Suetonium, cum nunquam faciat mentionem Taciti, faciat autem aliorum, cum etiam constet in manibus Suetonij fuisse scriptores rerum Augusti, Tiberij atque aliorum, non constet autem fuisse illi in promp-*

in scripta Taciti, colligere, inquam, est, potius videri alios à Suetonio, quam Tacitum, reprehensos.

An Tacitus librum de Domitiano Imperatore ipso viuo euulgauerit?

Cap. IV.

QVod in alijs reprehendit Tacitus, dum ait res quorundam imperatorum ipsis vivuentibus ob metum falsas, iisdem sublatis recenti odio compositas euulgásse, in id videtur ipsemet incidisse, nam mortuo Domitiano grauissimè in eum inuectus est in principio, inque fine Agricolæ: cum tamen eiusdem res descripsisset adhuc imperantis. scribit namque Annal. XI. cap. XI. num 1. vtriusque Principis rationes prætermitto satis narratas libris, quibus res Domitiani Imperatoris descripsi. *in quo quidem libro, si liberè narrauit quicquid egit Domitianus superstitibus Patre, & Fratre, ipsisque sublatis imperator creatus per quinquennium, certè eum offendit, cum apud Suetonium non pauca legantur reprehensioni obnoxia, cumque graui culpa coniuncta. Respondendum videtur, ex fine vitæ Agricolæ constare deteriorem semper euasisse Domitianum, eiusque res viuis Patre & Fratre vtcumque tolerabiles fuisse, initiumque imperij non prorsus malum extitisse. Videtur igitur Tacitus sic descripsisse Domitiani facta, vt quæ vera erant retulerit tam cau-*

tè,

tè, tamque circumspectè, vt nec adulationi nec metui succubuerit: styli autem libertati sic moderatus fuerit, ne indignationem praui Principis prouocaret. suspicari autem libet eiusmodi librum nequaquam ipsi placuisse. Cur enim Tacitus sub Imperio Domitiani tandiu abfuit Roma, cur siluit, vt indicat in principio vitæ Agricolæ? Metuebat sibi. adde non esse exploratum librum de rebus Domitiani, à Tacito compositum, atque euulgatum cum viueret imperator: potest enim fieri, vt eiusmodi operi incubuerit cum abesset, aut etiam post Imperatoris mortem id exarauerit, emiseritque. nam eius verba sunt: Narratas libris, quibus Imperatoris Domitiani res descripsi. *quando historiam de Domitiano aut scripserit, aut ediderit non dicit. adde ex verbis Taciti non constare librum euulgatum fuisse.*

IN

IN TACITVM DIATRIBA XVI

De morte Augusti, deque Liuia suspecta non idem ab omnibus traditum. Cap. I.

DE Morte Augusti non idem omnes tradiderunt. Velleius tranquillam prorsus narrat fuisse, cum amplecteretur Tiberium subrefectus conspectu, alloquioque carissimi spiritus. quod narratum in gratiam tunc imperantis Principis. Tiberio namque regnante constat scripsisse Velleium. Suetonius cap. XCVIII narrat cum ægrotaret detinuisse secreto sermone Tibe

 rium.

rium . cap. XCIX. refert imperatorem repente in osculis Liuiæ *defecisse, & sortitum* exitum facilem. *Victor & Dio aliquid de Liuia narrant, quasi Cæsari extiterit causa* mortis . *Victoris verba sunt :* Nolæ morbo obijt . quamquam alij scribant dolo Liuiæ extinctum, metuentis, ne quia priuignæ filium Agrippam, reduci compererat, eo summam rerum adepto pœnas daret . *eiusmodi narrationem nec approbat, nec reijcit Victor. non absimiliter apud Dionem legimus :* Augustus ex morbo decessit suspecta non nihil Liuia, quasi eius fraude obijsset. *subijcit Liuiam metuentem ne reuocaretur Agrippa dedisse marito ficus veneno infectas. eiusmodi tamen relationem non habet pro certa, sed inquit* siue ea causa morbi, siue alia fuit. *nec scit an Tiberius adfuerit morienti Augusto* Mors eius, *inquit Dio,* non confestim innotuit. Nam Liuia metuens, ne Tyberio in Dalmatia adhuc versante, aliquid noui existeret vsque ad eius aduentum eam clam habuit, vt quidem plerique & fide digniores authores tradunt . neque enim desunt qui adfuisse ægrotanti Augusto Tiberium perhibeant. *Hæc Dio. vnde colligere est non eodem modo ab Historicis traditam mortem Augusti, neque Velleium Paterculum esse omni exceptione maiorem. nam cum ipse dicat Tiberium adfuisse Augusto morienti, Dio ostendit se malle credere auctoribus fide dignioribus. Cur autem cum Dio, Victor, & Tacitus obnoxiam faciant suspicioni Liuiam, eam in rem nihil Velleius? scribebat scilicet dominante Tiberio viuaque Liuia, quibus cupiebat*

bat placere . nam si talem suspicionem hominum de Liuia prodidisset , exitium sibi attraxisset . Et mirabimur Velleium siluisse de sermone aliquorum Romanorum, qui mortuo Augusto dixere imperatorem quæsisse gloriam pessimo successore sibi ascito? Non tam audax fuit adulator ille , vt vellet meminisse rei , quæ maximè offendisset Tiberium . Imò vix hoc ab ipso poscendum erat , modò à cumulo immenso laudum , quas obtrusit astutissimo sæuoque Principi, abstinuisset . Quæres verò cur in re tanti momenti nihil exploratum prodiderint historici? facile est respondere Liuiam , si occidit Augustum , rem totam clam habuisse, neque ipsa viua cum filio fas fuisse absque præsenti periculo verbum de tanto scelere proferre . hæret igitur ambiguus etiam Tacitus, quod ostendit eius candorem . Cum enim plures scriptores de nece Augusto à Liuia illata locuti fuissent, nosset autem egregius vir recenti odio res Tiberij ipso mortuo , à nonnullis fuisse compositas, non ausus est sibi persuadere à Liuia commissum facinus . Etsi igitur sæuus fuerit Princeps Tiberius meritoque vocatus Tyrannus , noluit tamen Tacitus , functurus vt par erat , munere historici quidlibet vndecumque in ipsum congerere . Tacitus igitur sic primo Annal. cap. IV. grauescere valetudo Augusti , & quidam scelus vxoris suspectabant . Quippe rumor incesserat . *postquam retulit quod est apud Dionem quoque, & Victorem de reuocando Agrippa , subiungit :* vtcumque res se habuit . *vides aliquos putasse Augustum vicinum morti , aut morbo tentatum cogitâsse & cupiuisse reuocare Agrippam , eique tra-*

dere Imperium. At inquit ex recentioribus scriptoribus aliquis, non est verisimile Augustum voluisse sibi succedere Agrippam imperitum rerum præterito Tiberio longo rerum vsu exercitato. Respondere est, non visum id inuerisimile ijs, qui de eo sic locuti sunt, rumoremq. qui tam diu durauit sparserunt. nam quis nescit quantum possit consanguinitas? Aristoteles profectò in politicis putauit esse quid diuinum, si Rex bonus filium suum non aptum regno nolit sibi succedere. Cur ita? quia maximus est amor, quo pater filium prosequitur. Nonne optimus prudentissimusque fuit Princeps Marcus? Commodum tamen filium iuuenem tanto oneri imparem voluit succedere. Tacitus verò sermonem eiusmodi de Augusto cupiente sibi succedere Agrippam nec recipit nec refellit. vnde discimus Tacitum grauem historicum nequaquam secutum in scribenda historia rumores sparsos, sed historicorum egregiorum testimonium, etsi ageretur de Tyrannis, quales quidem fuerunt Tiberius & Liuia. An autem Tiberius Augusto morienti adfuerit, dicere non habet certò Tacitus. Neque satis compertum est, *inquit*, spirantem adhuc Augustum apud Nolam *Tiberius*, an exanimem reperit. *videtur autem innuere non longum sermonem habitum cum Tiberio, nam aut spirantem, aut exanimem inuenit. Si iam spirabat, non potuit multa illi mandata dare, secretaque præcepta tradere. vides rursus quam circumspectè se inscribendò gerat Tacitus.*

An

An inuisos sibi Augustus iactantia videatur tertio loco hæredes scripsisse?

Cap. II.

De Testamento Augusti Tacitus in primo Annalium cap. VIII. hæc scribit: testamentum inlatum per Virgines Vestæ, Tiberium & Liuiam hæredes habuit. tertio gradu primores ciuitatis scripserat: plerosque inuisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros. *Dio tamen Tiberium & Liuiam hæredes scriptos memorat; subijcitque legasse Cæsarem multa* non necessarijs modò suis sed nihil ad se pertinentibus, neque senatoribus tantum, equitibusque sed regibus etiam. *At refert Suetonius*, tertio gradu propinquos complures. *Culpatur autem Tacitus, quod dixerit institutos hæredes tertio scilicet gradu* inuisos primores *Romanos*, iactantia gloriaque ad posteros. *quod videtur ipse confinxisse, cum nullus historicus id narrauerit. Fateor duos historicos, quos retuli ea de re distinctè non loqui: at non inde colligendum: nullum historicum de eiusmodi testamento Augusti locutum, cum satis constet res Augusteas scriptas ab alijs, qui tamen interierunt. Imò cum Tacitus id tradat, neque vixerit tempore Augusti, non videtur dubitandum id ipsum accepisse à scriptoribus rerum Augusti. An enim verisimile est ab Augusto ex tota animi sententia scrip-*

tos

tos hæredes eos, quos oderat & de quibus nonnullis monuerat Tiberium vt sibi caueret? Nequaquam. videtur igitur tali testamento captasse gloriam: nec enim historici nobis vt prorsus candidum & sincerum describunt Augustum. Victor ait eum fuisse occultè inuidum cupidissimum dominandi supra quam dici potest. cumque esset luxuriæ seruiens, erat tamen eiusdem vitij seuerissimus vltor. *An credibile est scriptum hæredem ex animi beneuolentia Antistium Labeonem, quem sibi obstrepentem oderat? de Gallo Asinio dixerat eidem Tiberio* auidum *imperij, Arruntium* si casus daretur ausurum, *quos successor Augusti* varijs criminibus circumuenit, *& perdidit. At inquit reprehensor Taciti satius putandum studio veræ laudis, aut vt eos conciliaret Liuiæ, aut etiam vt significaret, morte demum finiri simultates, scriptionem eiusmodi peractam. forte responderet Tacitus vix esse locum veræ laudi, vbi quod suscipitur nihil videtur posse proficere. nam cum primo secundoque loco scripsisset hæredes tam multos, quos inter Germanicus erat cum aliquot filijs; quid profutura erat Primoribus scriptio eiusmodi? hinc etiam ipsi scripti non poterant deducere argumentum beneuolentiæ Augusti erga se certum, cum cæteroqui inuisos se nossent. Quid etiam prodest videri velle deponere simultates in morte, cum moriens non amplius sit vel profuturus vel obfuturus? cum præsertim possent suspicari occulta mandata ab Augusto data Tiberio de ijs, quos oderat. An enim moriens posuit Augustus simultatem erga clarissimos Senatores Asinium Gallum, & L. Arrun-*

cinitium monens Tiberium, vt sibi caueret ab ipsis? nam absque sermone Augusti forte non circumuenisset viros insignes Tiberius. Cum ergò Augustus non procul à morte ea apud Tiberium protulerit, quæ poterant nocere tantis viris, cur ipsos hæredes tertio, nihilque profuturo loco hæredis scripsit?

An Augustus Tiberium voluerit sibi succedere, vt tali successore fieret desiderabilior? Cap. III.

VErba Suetonij sunt cap. XXI. in Tiberio: nec ignoro aliquos tradidisse Augustum ambitione tractum, vt tali successore (*Tiberio*) desiderabilior ipse quandoque fieret, adduci tamen nequeo, quin existimem. *quibus verbis putat inter recentiores non ignobilis scriptor, reprehensum Tacitum, apud quem Romani lib. I. Annal. cap. X. aiunt Augustum deterrima comparatione, asciuisse Tiberium successorem. vt defendatur Tacitus nec vafrè dicatur talia finxisse, non pauca suppetunt. Suetonius valde modestè reijcit eiusmodi narrationem de Augusto, non autem tanquam vafros accusat eius auctores, nam inquit:* sed adduci nequeo. *dum idem ait:* aliquos tradidisse, *loquitur de pluribus historicis, qui res Augusti scripserant, de quibus ipse in Caligula cap. VIII.* Qui res Augusti memoriæ mandarunt. *non igitur solus Tacitus, vt putat*

tat recentior scriptor, hoc protulit de Augusto: adde Suetonium reijcere absque dubio eos, qui res Augusti memoriæ mandarunt. sed Tacitus tantum extrema tetigit. vnde colligere est Tacitum non hæc excogitasse & fingendo tribuisse Romanis, vt ait recentior scriptor his verbis: quasi Tacitus insolens sit attribuendi alijs, quod ipse vnicè sentiat. *nam id tradiderant absque dubio plures, qui res Augusti scripserant. nec indicat se sentire Augustum constituto successore Tiberio gloriam quæsiuisse. eius verba sunt, antequam proferantur laudanda aut vituperanda de Augusto:* At apud prudentes vita eius variè extollebatur, arguebaturue. *vides appellari prudentes à Tacito etiam eos, qui Augustum laudabant. nullo autem verbo indicat an sentiat cum arguentibus, aut cum laudantibus vitam Augusti. dum verò historicè, moreque narrantis, nec dubitantis scribit Tacitus, absque dubio omnia quæ ibidem continentur in laudem aut vituperationem Augusti sumpsit à scriptoribus. dixisset cæteroqui: aiunt. vulgò dictum est. narratum mihi à senioribus. Suetonius porro inquit:* Scio vulgò persuasum, quasi egresso post sermonem Tiberio vox Augusti per cubicularios excepta sit: Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit. *hæc de vulgi persuasione. mox subijcit:* nec illud quidem ignoro aliquos tradidisse. *hoc absque dubio accipiendum de scriptoribus. An Tacitus vulgi rumorem tamquam rem certam, retulisset? ex tota ipsius historia constat consueuisse longè aliter se gerere. Quod si afferas Tacitum*

acce-

accepisse persuasionem à vulgo, saltem fateberis non hoc confictum fuisse ab ipso, sed acceptum aliunde. an enim poterat narratio eius ficta statim gignere persuasionem vulgarem? *nequaquam. Reprehensor tamen Taciti non dubitat talia verba proferre*: verisimile mihi fit, non ante scriptorem Tacitum illud in cuiusquam animo, aut ratione fuisse. *Fateor interim vulgi persuasionem, de qua Suetonius, tantum fuisse de verbis Augusti dicentis fore miserum populum Romanum Tiberiano sub imperio, at Dio ortum rumorem vulgi putat à magna dissimilitudine inter Augustum & Tiberium. An enim verisimile est Augustum voluisse relinquere imperium homini adeò sibi dissimili? Ergò cœperunt homines quoque plebeij dicere Augustum ex eiusmodi dissimilitudine captâsse gloriam. audiamus Dionem lib. LVI.* Tanta profectò fuit inter Augustum & Tiberium dissimilitudo, vt suspicio quosdam tenuerit, consulto Tiberium ab Augusto, satis eum, qualis esset cognoscente successorem ordinatum, quo magis ipsius gloria floreret. *mox subijcit*: verum hi rumores (ὕστερον) postea spargi & gliscere cæperunt. *ex quibus deducit recentior scriptor, mortuo Augusto nequaquam hoc dictum fuisse de ipso. sed alij sunt rumores longè latèque vagantes, alia est opinio prudentum virorum de Principe mortuo. Tacitus* ait Prudentes *aliquos Romæ non omnes sic locutos, quibus ipse non ait se assentiri. at Suetonius id tribuit etiam historicis, qui mandârunt literarum monumentis, quæ dicta sunt tunc à prudentibus. Cur autem inquit Dio* po-

ftea *percrebruiſſe famam de tali electione Auguſti: quia abſque dubio quiſque ſibi metuebat à Tiberio, qui crudelis erat. hinc etiam aliquis ſuſpicatus fuerit ſub Caligula famam auctam de ea re, cum ipſe Tiberianum nomen odiſſet. Ridiculum autem eſt quod ait recentior ſcriptor impugnans Tacitum*: ſi hic fuit hominum ſermo, qui latuit Velleium Paterculum ea tempeſtate degentem in aula? *At quis neſcit nouiſſe Velleium multa alia valde mala de Tiberio, quæ leguntur apud Suetonium, atque alios, quæ tamen non tradita ſunt ab ipſo litteris? Quiſque enim qui legit Velleium videt ipſum non hiſtorico more, hiſtorica libertate vſum, cum ageret de Tiberio adhuc viuo, ſed more Rhetorum immenſis laudibus obtruſis voluiſſe dominanti placere.*

De ſcriptis & libris relictis ab Auguſto. Cap. IV.

QVænam reliquit ſcripta Auguſtus? *Suetonius cap. LXXXV. memorat* reſcripta Bruto de Catone, hortationes ad philoſophiam, & aliqua de vita ſua *vſque ad Cantabricum bellum. Tacitus Annalium cap. XI. Tiberius* libellum proferri recitarique iuſſit. opes publicæ continebantur. quantum ciuium ſociorumque in armis, quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa ac vectigalia, & neceſſitates ac largitiones, quæ cuncta ſua manu perſcripſerat

ferat Augustus. *haec apud Tacitum. apud Dionem talia leguntur lib. LVI. quatuor libri illati in Senatum à Druso recitati. primus continebat mandata de funere, alter enumerationem rerum à se gestarum, quas Dio ait iussisse Augustum incidi aeneis columnis. quod etiam à Suetonio memoratur. Tertius complectebatur summam redituum, impendiorum publicorum. Quartus praecepta Tiberio ac reipublicae data, inter quae narrat fuisse hoc Dio:* vt rempublicam omnibus rerum prudentia præditis committerent: neque vni alicui eam totam crederent: ne Tyrannidem is affectaret, vel eo aduersa passo Respublica corrueret. *Quæ in re puto fidem Dionis vacillare. An enim Augustus tale praeceptum dedisset, cum successorem asciuisset Tiberium, ipseque noluisset reddere libertatem? Quod si talia exarasset Augustus, non permisisset tamen Tiberius ea legi, cum iam arrripuisset imperium, & summam rerum vellet sibi deferri à Senatu volente nolente. credibile igitur non est eiusmodi praeceptum perscriptum ab Augusto, aut si perscriptum fuit permisisse Tiberium id legi: cum praesertim non desit ratio, qua licet quartum istud volumen à Dione tributum Augusto in dubium vocare, & reijcere. Etenim Suetonius accuratior scriptor tria tantum volumina prolata & recitata fuisset narrat, quarti nullam facit mentionem. verba Suetonij sunt in Augusto cap. vltimo:* Testamentum cum tribus signatis æquè voluminibus protulerunt. vno mandata de funere suo complexus est. altero indicem rerum à se gestarum; quæ vellet

incidi in tabulis æneis , quæ ante Mausoleum *statuerentur* . Tertio breuiarium totius imperij . *An verò Augustus conscripsisset præcepta Tiberio & Reipublicæ ? vix id credibile . Nam Tiberius erat iam magno rerum vsu præditus, & Respublica habebat grauissimos , prudentissimosque Senatores numero non paucos. ita subinde Dionis non certa fides in historicis detegitur .*

IN TACITVM DIATRIBA XVII.

Tiberium noluisse videri authorem quarundam cædium, quas tamen imperauerat. Cap. I.

ACCVSATVR *etiam Tacitus in eo à recentiori scriptore*, quia supplicia reis illata à magistratibus inuidiosè refert in Principem, illa præcipuè mandantem; vt penes eosdem magistratus segnitia facti foret & inuidia. *Agrippam sanè constat interfectum iussu Tiberij, qui tamen noluit videri imperasse eiusmodi cædem prætexens Augusti mandatum;*

Tacitus I. Ann. cap. VI. primum facinus noui principatus postumi Agrippæ cædes. Nihil ea de re Tiberius apud Senatum disseruit, patris iussa simulabat, *quæ tamen ibidem ab historico refelluntur. mox subijcit historicus:* Nuntianti centurioni, vt mos militiæ factum esse quod imperasset; neque imperasse sese, & rationem facti reddendam apud Senatum respondit. *Centurioni absque dubio imperatum fuerat vel à Tiberio ipso; vel ab aliquo aulico nomine Tiberij. Noluit tamen imperasse. Cur ergò Centurio apud Senatum non reddidit rationem cædis patratæ? res inuoluta est silentio, quod satis notum foret, quis necem iussisset. de morte autem Sempronij Gracchi vt agamus, satis constat, cur à Tiberio fuerit iußus interfici, nam temerauerat Iuliam vxorem M. Agrippæ, & cum nupsisset Tiberio odijs eandem in maritum accenderat. Ergò* milites ad cædem missi, *absque dubio à Tiberio. quod cum simpliciter referat Tacitus, id accepit ab historicis fide dignis. Subiungit tamen:* quidam non Romæ eos milites, sed ab L. Aspernate proconsule Africæ missos tradidere auctore Tiberio. *An peccat Tacitus, referens, quod inueniebat traditum ab aliquibus historicis? Nequaquam. forte molestiam sentiet qui legit, quæ apud eundem sequuntur, quæque obijciuntur à reprehensore Taciti.* Tiberius famam cædis in Asprenatem verti frustra sperauerat. *quam obseruationem credendum est accepisse Tacitum ab ijsdem historicis. Credibile autem esse Tiberium sperâsse posse verti famam cædis in Asprenatem colligitur ex eo,*

quod narratum nouimus & tam monuimus de cæde Agrippæ patrata à Centurione, negante Tiberio à se imperatam. Adde constantem fuisse opinionem Romanorum Germanicum sublatum & occisum à Pisone iussu Tiberij, de quo Pisone cum putarit eam ob causam sumendum supplicium, nihil tamen prolatum fuit de Tiberio instigatore, vt dicere possimus interemptum à Tiberio Germanicum, sed famam versam in Pisonem frustra, cum hodieque existimetur Tiberius Germanicum occidisse.

Consilium Augusti de coërcendo imperio non placuisse omnibus imperatoribus.

Cap. II.

DE *Augusto sic Dio: dedit præceptum*, vt contenti præsenti fortuna fines imperij proferre non cuperent, quippe cum difficulter imperium eiusmodi seruari possit, periculum fore, ne plura appetendo, parta quoque amitterent. hoc eum non verbis modò, sed factis seruasse constat. namque etsi plurima barbarorum sui iuris poterat efficere, nunquam tamen voluit. *Tacitus I Ann. cap. XI. dixerat*: addiderat consilium coërcendi intra terminos imperij incertum metu, an per inuidiam. *Aio ego atque contendo causas talis consilij nequaquam confictas à Tacito, sed absque dubio acceptas à scriptori-*

bus

bus rerum Augustaarum. etenim Suetonius meminit eorum, qui res Augusti scripserant. quis autem ambigat narrasse ipsos, quid impulerit Augustum ad consilium, quod mirum alicui possit videri? Causam à metu posuit Dio, alij absque dubio posuerant causam petitam ab inuidia. forte enim Augustus, ne à posteris superaretur, suasit ne cogitarent proferre imperium. Quod autem ait Dio reipsa Augustum noluisse proferre imperium cum posset, id nescio an omnino sit verum. nam sub Augusto Drusus pater Germanici conatus est transire Albim, sed coactus est re infecta recedere, vt testatur Dio lib. LV. adde sub eodem Augusto Varum fuisse victum, neque iniuria vindicata nisi sub Tiberio. cupiuit igitur Augustus vlterius progredi vincendo Germanos, sed frustra fuit. Strabo quoque narrat conatum Augustum opera suorum ducum subiugare Arabiam, sed ipsi clade affecti sunt. non igitur quamuis cuperet, potuit subiugare Arabes. Phraates porrò Rex Parthorum misit ei obsides, & remisit signa erepta Crasso, vt tradit Dio. credibile est cupiuisse Augustum sub iugum mittere Parthos, & vlcisci iniurias, sed abstinuit ab eiusmodi expiditione, forte quod reformidaret Parthicas vires, cum nosset, quibus cladibus affecti ab ipsis fuissent Romani. viderint igitur eruditi, an prorsus verum sit, quod ait Dio de Augusto non curante augere imperium. apparet autem subsecutos Imperatores aliter sensisse, cum Claudius Britanniam subegerit. vbi velim animaduerti sub Claudio primum deprehensum à classe Romana Britanniam esse insulam, scribente Tacito in Agricola

cap.

cap. X. hanc oram nouissimi maris tunc primum Romana classis circumuecta insulam esse Britanniam affirmauit. *an ergò Romani nesciuerunt esse insulam ante Claudij tempora? puto dicendum sciuisse esse insulam ex aliorum narratione cum incolæ absque dubio dicerent vndique circumdari mari regionem illam; cum etiam Diodorus siculus, qui scripsit sub Augusto disertè doceat Britanniam esse insulam. Romani tamen ipsi ante tempora Claudij non deprehenderunt esse insulam: tunc enim primum classe circumnauigarunt insulam, & insulam esse oculati testes didicerunt. sed reuertamur ad consilium Augusti de coërcendo imperio. Traianus quoque præter eiusmodi consilium proferre imperium sategit domita Dacia, suscepta expeditione ad Indos vsque. euentus autem ipse ostendit nequaquam verum esse quod est apud Dionem, fore scilicet vt Romani, si vellent augere imperium, omnia amitterent, nam post Augusti tempora auctum est imperium, nec tamen omnia sunt amissa. Reprehensor autem Taciti sic scribit:* En quò læuum ingenium flexit cum cæteri probauerint Augusti consilium. *At falsum est ab omnibus probatum consilium. rursus inquit reprehensor:* qui claustra imperij laxarunt, magno rei Romanæ malo experti sunt quantum in ea admonitione prudentiæ foret, vt apud Zosimum alicubi legimus. *Zosimus laudat Diocletianum, qui construxerat castella apud Danubium, & Rhenum ne barbari possent transire & irruere in ditionem Romanam. reprehendit idem Zosimus Costantinum, quod sustulerit talia castella, & aditum*

præbuerit hostibus, quod nequaquam fieri debebat. Diocletianus porrò non construxerat castella, quod nollet subiugari Germanos, sed quia videbat Romanis armis inuictam gentem non posse domari, saltem dedit operam, ne possent barbari suis excursionibus Romani orbis incolas vexare; cum enim subinde peregrinæ & remotæ nationes deficerent à Romanis, non poterant iidem Romani vbique omnibus occurrere. Ergò saltem impediendi erant hostes, ne possent nocere, cum non possent subiugari: sic se gessit in Britannia Adrianus constructo longissimo muro, qui repelleret syluestres montanosque incolas subinde Britanniam depopulantes. idem in danubio deiecit pontem constructum à Traiano, ne Daci transgredi fluuium possent.

Cur Tiberius permitteret diu in prouincijs degere Magistratus? Cap. III.

C*VR narret Tacitus Ann. cap. LXXX. Tiberium consueuisse* continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in ijsdem exercitibus aut iurisdictionibus habere, *variasque causas recenseat talis moris; non deest inter recentiores, qui ipsum accuset tamquam* scriptorem omnibus infensum, & osorem hominum *laborantemque* liuore, & obiurgandi libidine. *Quas enim causas recenset, ait scriptor recentior asserere Tacitum* traditas vulgò, *cum tamen eam omittat quæ*

legitur

legitur apud clarissimum historicum Iosephum. *sed falsum est dicere Tacitum causas quas promit* traditas vulgò. *vulgus enim non adeò subtile est, vt penetrare posset ad arcana consiliorum Tiberij. adde Tacitum & historicos non solere sectari suspiciones & rumores vulgi, quando aliquid non admodum hæsitanter proferunt. inquit igitur Tacitus:* causæ variæ traduntur *scilicet à scriptoribus historiarum, qui profectò vulgo non accensentur: Tradere enim est propriè historicorum, vt videre est apud historiarum conditores, dum inquiunt: tradunt aliqui, tradunt scriptores. at de vulgo sic: vulgi opinio fuit, aut est. sed enumeremus causas moræ Tiberianæ cum Tacito.* alij, *inquit,* tædio nouæ curæ. *Alij scilicet scriptores dicunt. an culpandus est Tacitus, si sequitur historicos, qui cum scriberet in manibus hominum versabantur? Nequaquam. Inquit Tacitus:* quidam inuidia ne plures fruerentur. *cum enim par esset multos euehi & promoueri ex proceribus Romanis, cur tantum pauci accepti Tiberio perpetuò regebant prouincias? subijcit Tacitus:* sunt qui existiment. *non de vulgaribus hominibus sermo est Cornelio. Quis verò neget excellentes viros Tyrannis esse inuisos? nolebat tamen Tiberius admouere dignitatibus homines ijsdem prorsus indignos. hinc fiebat, vt non facile inueniret, quorum opera vteretur, hincque cunctatio & mora in electione nouorum magistratuum. dices, debuisse eam quoque causam referre Tacitum quam poterat legisse apud Iosephum. Respondeo, me nescire an Tacitus viderit antiquitates Iosephi, nam serò eas edidit.*

dit aut si editæ erant forte non putauit Tacitus se debere discere ab homine externo res Romanas, resque Tiberij traditas ab historicis latinis. nam externi non censentur nosse exactè res alterius nationis. Etsi autem diceret Tiberius se non mittendo nouos præsides parcere prouincijs non propterea videbatur carere inuidia erga reliquos, quos non mittebat. nam si non mittantur subinde noui præsides fit iniuria reliquis ex ordine procerum. illi qui regunt prouincias, cum penitus incubuerint eiusmodi magistratui securi de principe, securi aduersus pœnas, pro lubitu nimisque graui cum auctoritate rem gerunt. An enim peccauit olim respublica Romana, qui voluerunt annuos esse magistratus? Quod si omnia in vtramque partem expenderis, forte dices satius esse non pati diu in prouincijs degere Magistratus, quam eorum dignitatem ad multos porrigi annos. Nec Iosephus admodum laudat cunctationem Tiberij, qua laborans legatos non audiebat, quod noxium erat ijs, qui expediendorum negotiorum causa eos miserant. Accusatos etiam diu admodum carceri inclusos detinebat, quod quis non videt esse minus rationi consentaneum? an enim quisquam plectendus est, antequam fuerit conuictus? dat autem pœnas, qui diu hæret in vinculis, & non auditur. sed par est legi totum caput Iosephi in antiquit. lib. XVIII. cap. VIII.

Can-

Candoris, quo vsus est in scribendo Tacitus, duplex argumentum exhibetur. Cap. IV.

QVam remotus fuerit in scribendo à malignitate Tacitus duobus exemplis hic ostendere lubet. Nusquam enim venenum à Pisone oblatum Germanico pro certo & explorato habet, neque vsquam asserit disertè & clarè à Pisone interemptum Germanicum. Annal. II. cap. LXIX. ait sæuam vim morbi augebat persuasio veneni à Pisone accepti: & reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum relliquiæ, aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis sacrari. Annal. III. cap. XIII. ait Vitellium accusatorem dixisse Pisonem peremisse deuotionibus & veneno. de defensione quid profert? Piso visus est veneni crimen diluisse. quod ne accusatores quidem satis firmabant cap. XVI. inquit se à senioribus audiuisse, visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem non ipse vulgauerit, sed amicos eius dictitauisse, litteras Tiberij & mandata in Germanicum continere. id ipse non audet asseuerare, neque tamen occulere voluit aut debuit narratum ab ijs, qui ad historici iuuentam peruenerant. vides quam religiosè se gesserit in re tam graui, vt nusquam pro certa habuerit mortem à Pisone iussu Tiberij Germanico illatam. Si malignus fuisset Tacitus,

si ei placuisset quorumuis famam premere, annon & hanc occasionem arripuisset accusandi palam & absque circuitu Tiberium & Pisonem ob interfectum Pisonem? Suetonius igitur de morte Germanici sic in Caligula cap. I. obijt Germanicus Antiochiæ non sine veneni suspicione. *cap. II.* obijt (vt opinio fuit) fraude Tiberij ministerio & opera Pisonis: *cap. III. narrat Germanicum non prius Pisoni succensuisse*, quam veneficijs, & deuotionibus impugnari se comperisset. *Velleius ea de re prorsus nihil. Tantum hæc profert laudando Tiberium*: quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit prouincias? *& deinceps: Quid Tiberius* meruit, vt iuuenes amitteret filios? *Totus enim in eo erat Paterculus, vt Tiberianis blandiretur auribus. Alterum argumentum candoris in Tacito exhibet nobis mors Poppææ, de qua legere est Annal: XVI cap. VI.* Neque enim venenum crediderim, quamuis quidam scriptores tradunt odio magis quam ex fide. *potuisset dicere Tacitus, vt grauaret famam Neronis Poppæam uxorem ab ipso veneno sublatam, cum aliqui scriptores id narrassent. noluit illis assentiri. Cur ita? quia alij dixerant calce petitam interijsse.* Poppæa mortem obijt, fortuita mariti iracundia, à quo grauida ictu calcis afflicta est. *Eos autem qui de veneno retulerant refellit his verbis*: quippe liberorum cupiens & amori vxoris obnoxius erat. *Non erat quidlibet credendum narrantibus de Nerone ob magnum odium, quo eius memoriam prosequebantur. Quis autem cre-*

dat à Nerone oblatum uxori venenum, cum cuperet ex ea prolem tollere, cum etiam ei fuisset obnoxius, hoc est impensè ipsam amaret? si Tacitus ad premendam aliquorum famam ne quidem testimonia historicorum, qui videbantur esse suspecti, potuit permoueri, an quisquam ei malignitatem, & vanas suspiciones impegerit? nequaquam.

Pontifices visos fuisse adulari coniungendo nomen Drusi & Neronis cum Tiberij nomine. Cap. V.

Accusatur Tacitus, quod IV Annal. cap. XVII. impingat Pontificibus precantibus Deos pro incolumitate Neronis & Drusi Germanici filijs *adulationem, quam moribus corruptis ait perinde ancipitem si nulla, aut si nimia sit. suspicatur Tacitus adulatos Pontifices, quia nimio cumque periculo coniuncto honore affecerant filios Germanici eos in precibus publicis coniungendo Tiberio imperatori. regerit reprehensor, populum valde amasse prolem Germanici. non igitur adulatos pontifices, sed dedisse argumentum charitatis. At aliud est loqui de turba, totoque populo vtcumque dante signum beneuolentiæ in morte Germanici commiseratione ducto, & excusando si tali tempore sibi non nihil indulgeret: Neque enim publicæ incondita multitudinis voces reprimi poterant. quibus etiam*

coactus,

coactus est cedere Tiberius, cum ageretur de Pisone, & Plancina puniendis: minas enim totus populus iactauit erga reos, atque etiam iudices valde commouit, ne parcerent, veniamque darent. At extra eiusmodi occasionem non tollebant claras voces, nihil profuturas, imò obfuturas sanguini Germanici. in tertio certè Annalium cum Drusus congiarium daret, lætabatur populus at nulla acclamatione, quæ posset irritare Tiberium visus est. in IV autem eorundem Annalium occulte *dicuntur lætari Romani reuiuiscente domo Germanici, cum mortuus esset* Drusus *filius Tiberij. imprudenter igitur, & adulatorium in modum videntur fecisse Pontifices, exigua pars populi, qui non dubitarunt cum pro incolumitate Tiberij preces funderent, adiungere Drusum & Neronem. nam si vero amore & charitate prosecuti fuissent iuuenes non conflassent illis odium apud Tiberium; qui id valde ægrè tulit, Pontificesque reprehendit, monuitque in Senatu, ne quis in* posterum præmaturis honoribus ad superbiam extolleret animos adolescentum. *Aliud enim verò est alicui optare felicitatem, aliquemque amare, vt certè totus populus Romanus amabat Germanici domum, aliud autem nimio cumque periculo coniuncto honore afficere intempestiua, & affectata diligentia, quod commissum à Pontificibus, qui absque dubio rem nequaquam gratam fecerunt toti populo, cum præter rem supra conditionem extollerent frustra iuuenes nomina eorum iungendo Tiberiano.*

De

De diuinis honoribus à Tiberio contemptis. Cap. VI.

R*Eprehenditur Tacitus à recentiori auctore, quod in malam partem interpretatus fuerit factum Tiberij recusantis delubrum & diuinos honores. prodeat ipse Tacitus IV. Annal. cap. XXXVIII.* perstititque Tiberius aspernari talem sui cultum. quod alij modestiam, multi quia diffideret, quidam vt degeneris animi interpretabantur. optimos quippe mortalium altissima cupere. *Hæc narrantur à Tacito quia tradita à scriptoribus rerum Tiberij, quod satis superque ostendunt eius verba, cum ipse non vixerit sub Tiberio. non dissimulat autem laudatum tamquam modestum eo nomine. An hoc est detrahere Tiberianæ famæ, dum dicitur laudatus à modestia? Non dissimulat tamen multos contemptum sui cultum interpretatos fuisse diffidentiam. Cum enim non ignoraret Tiberius se inuisum esse populo Romano, & multorum scelerum sibi esset conscius, crudelitatisque exercitæ aduersus insignes viros, non ausus est admittere diuinos honores. Ambitiosi profectò homines quandoque non petunt honores cum probè norint, se maculosos esse, & famæ non esse bonæ. Quid quæso vetat nos sic de Tiberio disserere? Quidam tandem degenerem animum putabant esse Tiberianum, cum non expeteret alta. An enim accusandus veniebat à*

Romanis Augustus, qui viuus admisit diuinos honores in prouincijs, licet eos Romæ recusauerit. Recentior scriptor admissionem talis cultus superbiam *interpretatur. quod rectè facit vt Christianus. At si consideres morem illorum temporum, dum defenditur Tiberius accusatur à recentiore scriptore vt superbus Augustus. Fuit autem grauissima quæstio apud Alexandrum Magnum, an adhuc viuus deberet vt Deus coli & adorari? negauit constanter Callisthenes habita in eam rem grauissima oratione. diuinitatem namque nemini contingere viuo, sed paucis tribui à genere humano ob heroica facta post mortem. sic tributos diuinos honores Libero, & Herculi. At Anaxarchus contradixit Callisthem, à quo tamen stabant Macedones. Arrianus autem improbat Callisthenem vt rusticum, & peruicacem, debuisse enim Alexandrum extolli, & commendari, non deprimi. Quicquid verò ea de re sit, lubet hic inuestigare an Liber, Hercules, & Romulus additi fuerint numero deorum viui? videtur id affirmare Tacitus. nam vt probet debuisse Tiberium admittere delubrum profert eiusmodi exempla, quæ nihil faciunt ad rem si illi non fuerunt culti vt dij adhuc superstites. putarim nihilominus dicendum vix nos posse asserere Herculem, Liberum, & Quirinum cum viuerent cultos vt Deos. de Hercule profectò & Libero id negat Callisthenes. Quirinum satis constat non nisi post mortem habitum pro Deo. Miror autem dicere Tacitum ab Augusto speratum cultum diuinum, cum eum sed extra Romam admiserit adhuc viuus. videntur autem verba Taciti eo tendere, vt*

velit

velit significare potuisse cultum talem admitti à Tiberio adhuc viuo non vt certo argumento diuinitatis, sed vt foret præludium diuinorum honorum obtinendorum post mortem. an verò putauit Tacitus dignum esse Tiberium, vt pro Deo haberetur? Nequaquam id existimandum, cum vbique in eum inuehatur. Cur ergò sic differit? Cupiuisset Tiberium esse magnanimum & optimè mereri de Romanis, sicque assurgere ad excelsos honores qui heroibus tribui solent. Cum verò Tiberius nequaquam esset bonus Princeps, sed callidus Tirannus, vt homo degener, animique abiecti reijcitur a Tacito sequente iudicium eorum, qui interfuerunt rebus à Tiberio malè gestis.

De Furijs Tyrannos vexantibus. Cap. VII.

A*Nnal. VI. cap. VI inquit Tacitus* sæuitia, libidine malis consultis animus dilaceratur. Quippe Tiberium non fortuna non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur. *si non curaret res mortalium Numen cur scelesti non possent quiescere? præsertim illi, qui supra omnes Magistratus collocati ab hominibus sibi non metuunt. At dilacerantur occultis tormentis, neque à seipsis impetrare queunt tranquillitatem. vnde colligere est haud vana esse quæ de furijs agitantibus, vexantibusque Tyrannos, nefariosque homines à veteribus tradita sunt. Beatum scilicet Numen vtitur malis dæmonibus in exigendis pœnis à scelerum architectis. eiusmo-*

di iudicem ne Regibus quidem effugere fallereque licet? *Iuuenalis inquit:*

Nocte dieque tuum gestas sub pectore testem.

Statius non absimiliter:

Sæua dies animi, scelerumque in pectore diræ.

Idem in III Theb.

At non Aoniæ moderator perfidus aulæ
Nocte sub ancipiti, quamuis humentibus astris
Longus ad Auroram superet labor, otia somni
Accipit. inuigilant animo scelerisque peracti
Supplicium exercent curæ. tunc plurima versat
Pessimus in dubijs augur timor.

Nero interfecta matre nusquam animo quietem reperiebat. patrato scelere, eius demum intellexit magnitudinem. Taciti verba sunt XIV. Annal. cap. X. sed à Cęsare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est. reliquo noctis modo per silentium defixus, sæpius pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur tamquam exitium allaturam. *hæc de Nerone Tacitus. Liuius autem mortem Philippi patris Persei tribuit necato Demetrio innocenti iuueni: Rex enim inquietam deinceps egit vitam, tandemque eam mæroris plenus finiuit. Nec omittenda sunt, quæ de Iugurta traduntur à Sallustio: tandem enim suspectos habens omnes nusquã consistere sciebat, incertus consilij, huc illucq. discursans, donec tandẽ à Numida proditus, traditusq. Mario viuus Romã transmissus est. nec ignorandũ, quod de Theodorico Rege Gothorum post Boetiũ, Symmachumq. occisos narratur. visus enim est sibi in mensa videre caput occisi. quo specta*

De

De anno Lunari, & Solari.
Cap. VIII.

CVM Tacitus ann. lib. XI. cap. XI. egisse se testetur de annis secundum Augustum aut Claudium lubet hic obseruare Græcos olim non Solarem sed Lunarem habuisse annum, vsos propterea intercalari mense quod scimus narratum ab Herodoto antiquo historico: quin & pleræque nationes vsæ sunt eiusmodi ratione annos & tempora metiendi. quod dicendum de Romanis quoque ad tempora vsque Iulij Cæsaris. nam qui minus periti erant Astronomiæ facilius annum exigebant ad Lunæ cursum quam Solis; cum Luna trigesimo ferè quoque die suum cursum finiat. at Sol percurrit signa Zodiaci anni spatio, variè in vnoquoque signo trahens moram, vt difficile foret menses efficere secundum eiusmodi moram Solis. annum igitur effecere Lunarem, qui tamen cum non posset seorsim consistere à Solis cursu annuo, ad faciendam exæquationem inter duodecim menses Lunares, quo constabat annus, & cursum Solis annuum, necessariò adhibuerunt mensem intercalarem, cuius meminit idem Herodotus. vt taceam alios dicere Græcorum annum fuisse Lunarem, eique suppetias latas intercalatione. At cur annum Solarem non accepere Græci cum in Ægyptum se contulissent ad discendum? forte sacerdotes noluerunt eis ipsum trade-

re.

re. primi namque Ægyptij rerum ſideralium peritiſſimi obſeruarunt ſolem conficere curſum annuum CCCLXV dierum ſpatio. ſed id inuentum valde diu in arcanis habuerunt. Tandem ergo huiuſmodi repertum tranſlatum eſt ad Romanos annitente Iulio Cæſare. audire autem operæ eſt Strabonem lib. XVII. iſti ſacerdôtes Ægyptij, cum rerum cœleſtium ſcientia præſtarent cæterum arcanam eam ſeruarent tamen tempore deuicti nonnulla enarrauerunt, ij excurrentes diei & noctis particulas ſupra CCCLXV dies ad anni complementum tradiderunt. ignorabatur annus eo tempore apud Græcos, donec iuniores aſtrologi ab ijs eum acceperunt. *hac Strabo.*

IN TACITVM DIATRIBA XVIII.

Prodigia esse argumentum diuinæ prouidentiæ apud Tacitum. Cap. I.

SIC loquitur *Tacitus XIV Annal. cap. XII.* prodigia quoque crebra & irrita intercessere. *moxque enumerat prodigia eiusmodi. & addit*: quæ adeò sine cura Deûm eueniebant, vt multos post annos Nero imperium & scelera continuauerit. *hæc ibi Tacitus. At Annal. XVI. cap. XIV.* tot facinoribus, *inquit*, fœdum annum etiam dij tempestatibus & morbis insigniuere. *nec omitte quod habet*

Annal.

Annal. XV. cap. XLVII. fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. *hæc duo testimonia posteriora videntur cum primo pugnare. dij namque prodigia mittunt, vt nos imminentium malorum moneant Non ergo talia absque Deûm cura eueniunt. Prodigialia scilicet signa nobis magnum argumentum pro diuina Prouidentia contra Epicurum suppeditant. vnde colligere est nequaquam Epicureum fuisse Tacitum, nam cæteroqui ab enumeratione prodigiorum abstinuisset. & tamen in XIV ann. ait euenisse prodigia absque Deûm cura. posset quis dicere Romanos è re nata nunc cum vna; mox cum alia schola Philosophorum locutos, quod videre est apud Virgilium, aliosque. Cæsar sanè apud Sallustium in coniuratione Catilinæ inquit:* mortem ærumnarum requiem, cuncta mortalium mala dissoluere, vltra neq. curę neq. gaudio locum esse. *cui tamen respondit Cato:* Credo *Cæsar.* falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur: diuerso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habere. *pro lubitu igitur Romæ variè sentiebant & loquebantur proceres secundum varias philosophorum sectas. Vix tamen putarim cum Epicuro locutum Tacitum, ne sibi contradixisse dicatur, quandoquidem tam disertè alibi Deos hoc est prouidentiam cum prodigijs coniunxit. Quando ergò dixit nulla Deûm cura euenisse prodigia, tantum significat non respondisse euentum ipsis prodigijs, quandoquidem Nero post eiusmodi signa tamdiu tamque crudeliter imperauit. interpretabantur namque mortales tunc ominosa signa contra Neronem, cum res ipsa ostenderit explicanda fuisse*

contra

contra populum Romanum. dum autem ait Tacitus; nulla Deûm cura *non intelligit ignorantiam, quodque dij prorsus negligerent statum Romanæ ciuitatis, sed quod non punirent Tyrannum. potest namque cura Deûm diuidi in scientem, permittentem, punientem, remunerantem. Nam & nos Christiani quando videmus impunè sæuire Tyrannos, & vincere florereque malos, dicimus: Deum permittere, & pati iustis de causis eos vigere, regnare, neque Numen exerere vim suam atque irã in sceleſtos. hinc Psaltes Dauid rogat Deum vt euigilet, vt tueatur suos, vt reprimat impios, ne dicant:* vbi est Deus eorum? *idest piorum. sunt etiam gradus (vt sic dicam) diuinæ prouidentiæ, quædam enim magis quædam minus curat. quod discimus ex verbis S. Pauli I. Cor. IX.* numquid est Deo cura de bobus? *Imò curam habet & boum, vt colligitur ex alijs locis S. litterarum, sed maiorem habet curam hominum. Comparatione itaque facta cum homine, qui adeo carus est Deo, inquit:* numquid est cura Deo de bobus? *puto igitur Tacitum dixisse absque Deûm cura euenisse prodigia, quod ab ipsis non illicò perditus fuerit Nero.*

Quatenus aliquorum gloria post mortem aut augeatur, aut minuatur. Cap. II.

Qvando quis vita functus est contingit absque eius, qui fuit, opera, famam vel augeri, vel minui,

tus hodie in ore hominum est summus Pontifex Paulus Quintus, cui curæ fuerunt pax, annona, ius vnicuique redditum. id acceptum ferendum turbis & bello, quod sub Vrbano Octauo extitit. Cum autem tamquam proditor interemptus fuisset Ægræ Valestenius Fridlandiæ Dux, multi erant solliciti de ratione belli gerendi, nam ipse in legendis militibus, alliciendis ducibus, conuocandis copijs vix vmquam in Germania videbatur habuisse parem. sed res subsecutæ eius claritudinem nonnihil minuerunt. mox enim obsessa & expugnata Ratispona, ingens victoria in Sueuia de Suecis reportata, Philippoburgum recuperatum, inuasa Gallia, recepta Hermanstenij arx aliaque feliciter gesta. sic visus est famigeratus ille Dux paruum sui desiderium reliquisse. Cum verò prope Luzzam occubuisset Gustauus Rex Sueciæ putabant plerique omnes conclamatam esse rem Suecici exercitus, & Fœderatorum Principum, sed quæ post Regis interitum pere gerunt Dux Vinariensis, Hornius, Bannerus, Torstensonius alijque non ita desiderabilem mortuum effecerunt. Quantopere verò Bernardi Ducis Vinariensis post obitum aucta est fama, cum exercitus, cui viuus imperauerat, aliquot annorum spatio ab eius morte dici voluerit Vinariensis, longè latèque circumlatis armis. iam enim suppetias tulit Suecis, mox Franconiam inuasit, quin itinere longo arrepto Rhenum ad Vesaliam transgressus cum Lamboio conflixit. hodie verò captis Rosa & Smitbergio, Tubadelio non amplius militante non ita floret, cum præsertim Dux Enguinæus bis ex Gallia cum maioribus copijs aduenerit effeceritque, vt Vinariensium non ita posset elucescere vis.

De morte Galbæ conferuntur inter se Tacitus, Suetonius, & Dio. Cap. III.

DE *morte Galbæ pro ratione Epitomæ hæc tantum habet Victor* : dum factione Othonis accensas legiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæsus est. *Suetonius cap. XIX. ait loricam* linteam induit, quamquam haud dissimulans parum aduersus tot mucrones profuturam. *nec mirare linteam loricam, nam thoracibus linteis vsos quandoque veteres constat ex Homero exque Plinio lib. XIX cap. I. qui ibidem tradit Regem Ægypti Amasim thoracem lineum habuisse; cuius singula fila CCCLXV filis constabant. dicit autem Tranquillus cap. XX. præsentium nullum ei opem tulisse, aut ferre conatum. sed Dio lib. LXIV sic scribit:* ei Sempronius Densus opem tulit, sed is non solum Galbæ nihil profuit, sed etiam ipse quoque occisus est, cuius viri nomen propterea putaui referendũ, quod memoria dignum esse videbatur. *sed Tacitus lib. I hist. cap. XL. prorsus nihil de Centurione isto. hinc fit, vt putem vix habendam fidem Dioni. nec enim rem non leuis momenti omisissent Tacitus, & Suetonius. sed quid dixit Galba, cum inermis occideretur? res varie narrata est secundum Tacitum. aliqui retulerunt supplicirer interrogâsse :* quid mali meruisset? paucos dies exsoluendo donatiuo precatum. *plures narrârunt obtulisse vltrò iugulum,* agerent ac ferirent, si ita è Republica videretur. *vides non idem solere referri ab historicis in re non adeò magni momenti. nec ideò historiæ veritas vacillat,*

cillat, satis enim est si in rebus præcipuis consentiant. Suetonius sanè & ipse scribit plures dixisse & prodidisse, Galbam vltro obtulisse iugulum, & vt hoc agerent & ferirent, quando ita videretur, hortatũ. *sed antea scripserat Suetonius cap. XX.* sunt, qui tradant ad primum tumultum proclamasse eum, quid agitis commilitones? *Cum verò plures narrauerint oblatum iugulum ferientibus à Galba, ex eo colligendum fortiter ipsum obiisse fortis enim est, quando videt sibi moriendum, occurrere occisoribus, nec fugere & conari se velle subtrahere. sic planè Cicero, cum animaduerteret non procul abesse occisores iussit eis obuiam ire lecticarios, & ex lectica exeruit caput, quod statim amputatum. non absimiliter se gessit in porrigenda ceruice Sempronius Gracchus, vt est apud Tacitum l. Ann. Dio autem ait eum vulneratus esset Galba id vnum dixisse:* Quid enim mali feci? *Fides penes Dionem esto. malo ego Tacito & Suetonio concinentibus assentiri, cum idem dicant, & sint antiquiores Dione; cuius fidẽ quis nescit sæpe vacillare? indignatur autem Tacitus ob talem cædem militibus, & quidem Romanis. verba eius sunt:* igitur milites Romani quasi Vologesem aut Pacorum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem & senem trucidare pergerent, proculcato Senatu forum irrumpunt. *nec fuerunt deterriti templorum religione, & capitolij aspectu. apud forum enim aliquot tẽpla, quæ de re legi potest primum carmen Statij lib. I. Syluarum. eadem indignatio coegit Dionẽ, nihil in eam rem scribente Suetonio, in hæc verba erũpere:* senẽ Põtificẽ, Imperatorẽ occidere. *senes tueri se nõ possunt, & reuerentia sunt digni. Pontifices pro-*

virtutem, sub malis principibus tutior erat conditio ignauorum. vide verò quid contigerit Galbæ. nam ipse verè iners pro sapiente valde diu habitus est, cum mortales putarent virtute quidem esse præditum, sed nolle videri. sed Magistratus ostendit virum. creatus namq. imperator suam inertiam patefecit, teste Tacito. sub Tiberio autem nec licuit prorsus latere, ignauiæque dare operam, nec virtutem eminentem habere: cum enim esset callidissimus imperator ille, sciretque regere molem imperij, volebat eos, qui Magistratibus erant admouendi non esse ineptos, inertes, ignauos, sed nec cupiebat esse excellentes, & eximios. Tolerabilior igitur fuit conditio procerum sub Tiberio, Principe artium regnandi peritissimo, quam fuerit sub Nerone, qui nesciebat quid sit regere homines. fit autem, vt cum sciant mortales in quadam vrbe non facile eligi eum, qui extra ordinem magna aut saltem eximia virtute præditus sit, cum ab eiusmodi præstantia electores sibi metuant, fit, inquam, vt qui talem supremam dignitatem qua nulla maior est, ambiunt, dent operam ne videantur esse inertes, aut vitijs obnoxij, caueant simul ne existimentur eximij: cum electores exemplo fere Tiberij vitijs obnoxios nolint eligere, ne dedecus adferatur tantæ dignitati, timeant quoque sibi ab egregijs hominibus, qui collocati in solio possent animaduertere in prauos, aut nimium seueros se præbere, & difficiles. vt ergò tempore Tiberij proceres Romani dabant operam, ne viderentur ignaui, nec censerentur eximij, cum nossent propensionem Cæsaris: ita hac tempestate, qui summam dignitatem

tem adipisci maximè cupiunt, media via incedere conantur vt nec mali censeantur, nec adeò boni, vt excelsa probitas & præstantia alijs incutiat metum, quod propositum & quæ agendi ratio an sit approbanda vel improbanda, dicere iam nihil attinet.

Libertatis non tantum esse speciosum nomen, sed præstantiam maximè optabilem. Cap. V.

Contemptim videtur loqui Cerialis, dum alloquitur Treueros & Lingonas apud Tacitum IV histor. cap. LXXIII. de libertate, cum cuperet prouinciales illos populos Romanis subesse, ait enim: libertas & speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum seruitium & dominationem sibi concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet. *At minime dubitandum videtur tamdiu abesse veram libertatem à populo aliquo quamdiu externi Regis, externæ Reipublicæ duces, milites incubant vrbibus: cum certissimum sit signum libertatis, si peregrini milites discedant, arcibus exeant, easque relinquant incolis aut custodiendas, aut solo æquandas. aliquot abhinc annis construxerant propugnacula in Valletellina Hispani, ad eos pellendos Galli alia ædificarant in Alpibus, qui duplici prœlio Hispanicas copias cum vicissent, cœperunt ijsdem munitionibus, vnde pulsus fuerat hostis, incubare. At Rhæti non absurdè*

surdè existimarunt mutatum potius dominum, quam depulsum. conspiratione itaque facta, quæ secretissima fuit, coëgerunt Robanæum cum suis cohortibus excedere. Ergò ipso abeunte Rhæti intellexerunt se liberos esse, seque ex animi sententia de sua Republica statuere posse. sed missis recentioribus, vetera contemplemur. Quando Græci intellexerunt sibi reparatam redditamque libertatem à Romanis opera laudatissimi fortissimique Consulis T. Quinctij Flaminij? quando ipse præsidia ex omnibus locis deduxit, consulamus Liuium, apud quem lib. XXXIV. Alexander Princeps Æetholicæ gentis dixit Romanos vano titulo libertatis ostentato Chalcidem, & Demetriadem tenere, qui Philippo cunctanti deducere inde præsidia, obijcere semper soliti sunt nunquam donec Demetrias Chalcisque & Corinthus tenerentur, liberam Græciam fore. *At Consul vere deduxit præsidia, vt eodem libro recenset historicus, copiasque in Italiam transportauit. Non ergo absolutè semper verum est, quod ait Cerialis eos qui pollicentur & ostentant prouincijs libertatem solere eis sub specie auxilij seruitium imponere. plerunque tamen fieri videmus, vt qui ad suppetias ferendas vocantur, imperium in eos, quibus auxiliati sunt, acquirant. Rarum namq; fuit beneficium populi Romani erga Græciam tunc liberatam, quam subsecutis temporibus in suam potestatem redegit. hinc incredibili lætitia exceptum fuit senatusconsultum, quo Græi iubebantur esse liberi. Apud Liuium enim sic legimus:* Audita voce præconis maius gaudium fuit, quam quod vniuersum

homines caperent. vix satis credere se quisque audisse. *cum autem præco reuocatus eadem iterum pronunciasset* ab certo iam gaudio tantus eum clamore ortus est plausus totiesque repetitus, vt facilè appareret: NIHIL OMNINO BONORVM MVLTITVDINI GRATIVS, QVAM LIBERTATEM ESSE. *Quæ verba faciunt vt existimem à Ceriali dictum speciosa nomina, & libertatem prætexi ab ijs qui cupiunt peregrinos depellere, quod cuperet Gallos parere Romanis, neque satis æstimare quid sit libertas. Rectè enim concupiscunt populi libertatem, nec imprudenter ad alienum auxilium confugiunt, quando proprijs viribus iugum excutere nequeunt, quamuis aliquando ab amicis decipiantur: Quisque namque nouit rem esse periculi plenam peregrinorum opem ad obtinendam & recuperandam libertatem implorare. verissimum interim est libertatis non esse tantum speciosum nomen, sed præcipuum esse bonum, absque quo vix quicquam in ciuitate optabile est. hinc Philo libro: quod omnis probus liber:* nulla magis de causa, quam ob tuendam præsentem libertatem, aut recipiendam si iam perijt Senatus & conciones habentur quotidie. Græci barbarique conflictantur bellis continuis, quid aliud volentes quam seruitutem effugere, libertatem acquirere? *hinc duces in proelijs his vocibus vtuntur:* Este viri, libertas agitur. qua nihil hominibus optabilius, vt quæ sit fons felicitatum cunctarum, priuatarum etiam. *quæ Philonis verba*

quam

quam bene concinunt grauiſſimi hiſtorici Liuij ſententiæ iam prolatæ, vt ſatis mirari nequeam reperiri homines, qui imperium ſapientiæ ad ſe trahunt, docentes & palam ſcribentes optimè habere homines, ſi abſoluto, & infinito vnius imperio ſubſint, & obliti prorſus libertatis nihil aliud cogitent, quam morigeros ſe imperantibus, & quidlibet etiam iubentibus præbere. O homines indignos philoſophorum nomine.

IN TACITVM DIATRIBA XIX.

Qua ratione se gesserint erga Gallos victos Romani victores? Cap. I.

INSERVIT causæ Romanorum, quam agit apud Tacitum in IV histor. cap. LXXIII & LXXIV Cerialis. non ergò temere omnibus est habenda fides. perpendamus nonnulla. eadem, inquit, semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ sedis amor. mox addit: Regna bellaque per Gallias semper fuere donec in nostrum ius concederetis. affectatam à Ger-

Germanis Galliam magis, quam à Gallis Germaniam facilè assentiar, cum longè meliores sedes, nequaquam deserendas, & à peregrinis expetendas, quam Germania prębeat. At falsum semper bella fuisse in Gallia, & vexatos Gallos à Germanis antequam sub potestatem Romanorum redigerentur, victosque subinde, cum fateatur Cæsar diuidi Gallos à Germanis Rheno flumine. id si verum est, non pro lubitu Rhenū transmeabant Germani, Galliæq. incūbebant. Quin fluuius adeò magnus claustra quadā prębebat, quibus repelli possent ingruentes hostes. quod autem Galli antiquioribus temporibus pacem habuerint in suo regno, neq. sibi metuerint à Germanis docent nos res gestæ à Gallis in Hispania, Gracia, & Italia. an enim ingentes copias ad longinqua loca, adque peregrinos propagandi imperij causa eduxissent, si domi vexabantur à Germanis, neque suas sedes aduersus ipsorum vim potuissent tueri? Nequaquam id credendum est, cum præsertim ex Tacito discere liceat diuisam antiquitus Germaniam in varias nationes subinde sibi inuicem bellum inferentes. Non igitur in eiusmodi discordia poterant magnopere aut Italos vexare, aut Gallos inuadere. iactat deinceps Cerialis Romanorum victoriam *aduersus Gallos obtentam, eiusque* ius. *vbi obiter quæsiuerim, an victor possit immutare leges, mores, instituta, sacra, atque alia eius nationis, quam subegit? videtur id affirmandum, cum apud Liuium libro primo, & Plautum in Amphitruone* diuina, & humana *transeant in potestatem victoris. adde Ptolomæum Lagi filium & Macedones Ægypto subactæ inuexisse græcorum*

rum sacra, & instituta, vt discere est ex IV. histor. Taciti, qui agit de templo à Ptolomæo primo Rege constructo Alexandriæ Diti, siue Ioui. Respondendum nihilominus est debere exponi cum grano salis, quod dicitur à scriptoribus de diuinis & humanis transeuntibus ad victorem. id enim accipiendum de imperio, quod par est non esse tyrannicum, sed ciuile, & consentaneum rationi. victor igitur debet victis vt liberis hominibus imperare, seque gerere more bonorum Principum respuentium facta tyrannica, ne dicatur esse dominus seruorum, cum par sit esse Principem regemque liberorum hominum. non ergò à victore tollendæ sunt leges, abolenda instituta, profliganda sacra eorum, quos vicit bellando, nisi aliquid reperiat, quod inhumanum, absurdum & barbarum sit. sic videntur Romani sustulisse morem immolandi dijs victimas humanas. Christiani etiam profecti ad Indos illos docuere abstinere ab esu carnis humanæ. Macedones porrò intulerunt quædam sacra & instituta Græcanica deuictæ Ægypto, at non vetuerunt coli deos more Ægyptio. quod etiam de Romanis dicendum. nam tempore quoque, quo scribebat Iuuenalis, Ægyptij animalia quædam tanquam Deos venerabantur. sed reuerti lubet ad Tacitum, adque Cerialem. ait ipse alloquens Treueros, & Lingonas: iure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. *additne qui imponit tributa? innuit Cerialis non consueuisse in Gallia solui tributa, antequam natio illa à Romanis subigeretur. quod profectò fuit pulcherrimum libertatis genus. nec tantum imposuerunt Roma*

ni

ni vectigalia, sed redegerunt regnum illud in prouinciam, hoc est ipsis ademerunt reges. ademptis autem regibus delectus illic habuerunt, cateraque gesserunt, qua victoria, & dominandi cupido suadet. hac lubuit promere, dum Cerialis verba perpendo.

Perpenduntur quædam verba Cerialis apud Tacitum de exigendis tributis. Cap. II.

A*Pud Tacitum in IV. histor. cap. LXXIV ad Treueros & Lingonas sic loquitur Cerialis:* Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendijs: neque stipendia sine tributis haberi queunt. *nomine armorum absque dubio intelligit milites, qui etiam tempore pacis aluntur, vt ingruente bello, vicinisque vim intentantibus præstò sint. Verè autem loquitur Cerialis, si sermo sit de magnis imperijs, regnisque latè patentibus: cum principi & populo dominanti, vix hostes deesse posse videantur. quod nos satis superque docet historia populi Romani, postquam nationibus cœpit imperitare. idem dixeris de Osmanidarum imperio, in quo nunquam non alitur prorsus ingens peditum equitumque multitudo. idem ferè pronunciaueris de Regibus Hispaniæ, postquam Carolus Quintus valde auxit Austriacam maiestatem, & ex India orbeque nouo cœpit peti aurum. si verò sermo sit de* Re-

Republica non admodum magna, de Regno vnius nationis vix dubitandum est posse carere milite stipendiario. aspice mihi Britanniam & Scotiam sub Iacobo primo Rege, Germaniam sub Ferdinando I Imperatore, Maximiliano Secundo, Rhodulpho, si excipias præsidiarios milites in limitibus Pannoniæ, qui tamen militabant Austriacis Imperatoribus, non quatenus imperatores erant sed Pannoniæ Reges. nec tacendum de Polonis, Heluetijs, alijsque. vnde discere est, quod incommodum comitetur lata magnaque imperia, cum carere non possint militaribus copijs, quæ vt alantur tributis & exactionibus premendi vexandique veniunt populi; vt propterea videatur pronunciasse S. Augustinus: magna imperia esse magna latrocinia. *Quando autem vna natio contenta est sibi viuere, & peregrinis nō inferre arma, nō necesse habet nutrire stipēdiarios milites; quæ res dici non potest quam sit accepta populis, gaudentibus bono tranquillitatis, libertateque commerciorum. Si dicas, talem nationem videri sibi ad sui conseruationem non sufficere, esseque expositam potentiorum Principum iniurijs; respondendum est ipsos incolas regionis non destitui armis, arcibusque & angustijs itinerum, vt si contingat oriri bellum, possint sese contra hostes tueri, & irruentes repellere. hinc adeò fit, vt asseram non esse absolutè verum, quod profert Cerialis* non posse haberi arma absque stipendijs. *An Poloni, an Britanni, an Heluetij, Germanique carent armis, etiam tunc quando pace fruuntur, bellum nō gerunt? habent arma, quæ celeriter ab ipsis corripiuntur, si ingruat*

gruat

gruat vis, vt res ipsa docet me tacente. Nec ergò Iustus Lipsius cum Principem instrueret debuit in genere dicere, quemlibet Principem armorum causa debere stipendia soluere, & milites alere. Annon Principes sunt in Germania Saxo, Brandeburgicus, Palatinus, Bauarus atque alij? absque dubio. ipsi tamen quando alta quiete fruuntur Germani non nutriunt milites, nec eiusmodi sumptibus subiectis populis molesti sunt exigendo callidè tributa, cum contenti sint prouentibus, qui sunt Principis quoddam patrimonium. sed pergit Cerialis, vt excuset Principes Romanos grauia tributa à prouincijs exigentes. nam stipendia sine tributis haberi nequeunt, *vt ostendat prorsus necessarium esse populo Romano, & imperatoribus ærarium. Quod quidem verè profertur de dominatione tot populos complectente, regente, qualis erat Romana. Quod si absolutè loquamur de re ipsa, assero nationem aliquam liberam posse carere ærario nec tamen destituire ad publicam salutem & incolumitatem necessaria. vt enim veteres primosque Romanos taceam, qui sub regibus & primis annis Reipublicæ ærario caruerunt, vt prætercam alias respublicas, quæ olim potuerunt ærario destitui, pono tibi ob oculos hac tempestate Germaniam, Poloniam, Britanniam, Heluetiam, vbi nullum est ærarium. Quid tamen illis deest? viderit igitur Barclaius in Argenide an adeò fuerit commendandum, vt necessarium, ærarium?*

De Serapide siue Ioue apud Alexandrinos culto principium narrationis apud Tacitum. Cap. III.

O*Riginem Serapidis Dei, siue alterius enarrat Tacitus histor. IV cap. LXXXIII LXXXIV ex fide Antistitum Ægyptiorum. eius verba sunt :* origo dei nondum nostris auctoribus celebrata. Ægyptiorum antistites sic memorant. *Quinam isti Antistites? an Sacerdotes Ægyptij, de quibus tam multa in historijs? erant enim & Philosophi, Astronomique, inque abdito seruabant scientias. imò antistites, de quibus loquitur Tacitus, erant Græci, sacra Græco ritu celebrantes. nam templum de quo agitur constructum fuit à Ptolomæo Lagi filio primo Rege Ægypti, cui eiusmodi regnum obtigit mortuo Alexandro: Macedonum namque potentia AEgypto ac præsertim Alexandriæ innexit sacra Græcorum, cum auersarentur AEgyptios adorantes animalia pro dijs, religioneque admodum diuersos ab omnibus nationibus, quod notatum scimus in ipsis ab Herodoto. pergit Tacitus, & inquit:* Ptolomæo regi qui Macedonum primus AEgypti opes firmauit, cum Alexandriæ recens conditæ, mœnia, templaque & religiones adderet: *perfecit scilicet opus à magno Alexandro properante in Persiam, & ad Indos non consummatum. is ipse regium sepulchrum eidem Alexandro construxit, & incredibili pompa Babylone cadauer regium deportauit, quo nomine valde commendatur à Diodoro siculo. qui etiam asserit rem fuisse maximo-*

ximorum sumptuum. vides cui debeat sua initia vrbs decantatissima Alexandria, Alexandro scilicet, postque Alexandrum Ptolomæo regi. Addidit autem vrbi Ptolomæus præter mœnia, templa & religiones, more nempe Græco, nam par non erat in vrbem græcam recipi superstitionem AEgyptiorum. inquit deinceps Tacitus: oblatum per quietem decore eximio, & maiore quam humana specie iuuenem. *annos Christiani vera religione imbuti AEsculapij, Apollinis, Iouis cultum respuentes tali narrationi fidem habebimus? Nequaquam cum faciant fouendæ superstitioni. hinc non prorsus miramur, si gentiles inter quos etiam Tacitus, abhorrentes à religione vera, quam Deus tradidit Mosi, non credebant vera esse, quæ narrantur à Mose, & repetuntur à Iosepho in antiquitatibus. hinc ergò Tacitus cum de origine Iudæorum ageret in V histor. longè aberrauit à vera antiquitate, quam nobis Moses propinauit. quod verò Tacitus sequens fidem Antistitum AEgyptiorum refert* de decore eximio *iuuenis, qui per quietem & in somno est allocutus Ptolomæum, id imputandum speciebus, quæ solent diuinitus obijci. nam quando in somno contingit nobis videre heroes, aut diuinos homines, imò simulachra diuinitati famulantia, læta effigies maiestateque plena solet nos hilaritate perfundere, quod non semel ego sum expertus, cum præsertim aliquando viderer mihi in somno contemplari Carolum V Imperatorem. Qua in re tamen si quis mihi non habeat fidem, nolim propterea cum ipso altercari. scio enim plures, qui sibi valde sapere videntur, quando*

talia audiunt, statim risum tollere. Tales porro apparitiones decora & pulchrę solent semper esse faustæ, & index alicuius boni successus. subijcit Tacitus iuuenem illum visum maiore specie quam humana: *quod non semel reperire est apud scriptores, quando de talibus agunt visis. Tacitus XI Annal. Oblata Curtio Rufo* species muliebris vltra modum humanum. *apud Ouidium XV Transform.*

Sed maior ero, tantusque videbor
In quantum verti cœlestia corpora debent.

Dio de Druso morituro libro LV mulier quædam humana amplior forma ei obuiam facta.

De Piorum manibus indefinitè locutum Tacitum. Cap. IV.

T*Acitus sic in Agricola cap. XLVI* si quis Piorum manibus locus, placidè quiescas. *non ausus est definire locum, ad quem animæ solutæ compedibus corporis commeant, cum variè de hac re sentirent Philosophi & gentiles. Pythagorei, & forte Ægyptij, transmigrationem animarum ponentes non videntur tribuisse locum alium animabus quam corpora, si excipias aërem in exigua forte mora quam trahebant commeantes à corpore in corpus. Pythagorei igitur non videntur animas vel ad loca infera transmisisse vel in cælum. Sed Plato vlterius progressus est. nam ad cælum iussit eas pergere, exque illo etiam descendere, cum Homerus Orcum tantum memorasset sedem animarum post mortem.*

Statius

Statius autem de suo patre loquens aut ipsum in cælum subuehit, ad aut Elysiam amœnitatem demittit. sed missis factis gentilibus, lubet aliquid transcribere ex Philone qui lubenter dum philosophatur excurrit ad Platonem. in libro igitur de confusione linguarum hæc habet: est & in aëre animarum incorporearum sacratus chorus, assectarum illarum cœlestium. nam has solent nominare diuina oracula. hic vniuersus exercitus in suos digestus ordines, imperatoris summi iussa exequitur, & huic vni moderatori suo sicut fas est obsequitur. *subijcit:* animalium naturæ diuisionem fieri *in brutam, rationalemque.* rationalis pars subdiuiditur in mortalem speciem, & immortalem animarum incorporearum, quæ versantur in cœlo, & in aëre. *vides putâsse Philonem inter substantias quas nos dicimus Angelos, & animas paruum esse discrimen, deumque vti quibuscumque incorporeis substantijs saltem aliquibus, quæ sunt in aëre quasque ipse Philo appellat animas, ad exequendam suam voluntatem. nemo enim negare potest animam separatam à corpore, cum superfit & agat sitque perfecta substantia incorporea, posse peragere diuina mandata, & suppetias eius iussu ferre mortalibus. hinc aliquis putauerit verba illa S. Pauli in Epistola ad Hebræos capite primo:* sunt spiritus administri, *posse accipi etiam de animabus, quarum ministerio Deus videtur vti, vt opituletur mortalibus. Quo referendum videtur quod legitur apud Dauidem:* exultabunt sancti in gloria. ad faciendam vindictam in nationibus. *Quæ ostendere*

dere videntur Deum vti ministerio beaturum animarum ad plectendos malos, & sublevandos bonos, quicquid nugentur in aduersam partem sectarij nostri temporis, qui non patiuntur animas beatas nostrarum rerum habere vllam vel cognitionem, vel curam. Non omiserim autem *Philonem more Platonico videri deducere aliquas animas è cælo in corpora, vt sint peregrinæ, & dicantur propterea homines in hoc mundo peregrini. Philonis verba sunt in libro de confusione linguorum:* Animæ in coloniam è cœlo missæ sunt. solent enim visendi & discendi gratia peregrinationem in naturam terrenam suscipere. ibi hospitio corporis vsæ, & contemplatæ sensibilia mortaliaque omnia retro vnde venerant redeunt. *hæc Philo.*

Finis Diatribarum in Tacitum.

Epistola Clarissimi Philosophi & Medici Marci Aurelij Seuerini, Neapoli florentis Ad Paganinum Gaudentium.

PA-

PAGANINO
GAVDENTIO

Diuinæ humanæque sapientiæ consultissimo,

MARCVS AVRELIVS SEVERINVS

Bene beateque viuere, summis gloriæ titulis gaudere.

ELOQVENTIA tua summa cum pari sapientia coniuncta, quam ex editis plerisque tuis eximijs monumentis nemo doctorum nostræ gentis non cognouit; ita nimium diu me cepit, ita nunc Excellentiæ Tuæ me tenet obnoxium, vt significandæ eiusdem erga Te, obseruantiæ meæ desiderio vehementer exarserim. Sic D. prius Thomæ Bartholino, mox D. Ludouico Ponchio Danis viris eruditissimis meam humanitati tuæ denunciandam flagrantissimam mentem delegaui, qui velut ad T. Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem de vltimis Hispaniæ Galliæq; finibus quondam venisse nobiles legimus, vt ipsum os XII salientium semel proni delibarent; eodem plane studio atque ardore cordatissimi ex vltima Arcto Iuuenes ad vberem virtutem tuam comi-

nus

nus agnoſcendam atque colendam operæ precium factur) contenderunt. quorum ille prior, hic acceſſu poſterior ineſtabilem benignitatem tuam ſic experti fuere, vt non paratius profecto Dido Virgiliana Troianos exules exceperit, quam hos excepit anhelantes & exardeſcentes amplexata fuit Hoſpitalitas tua. Adde, quod nugas meas pænitendas ingenij abortiones Palladi Tuæ per Pouchium oblatas, & comiter lectione tua dignatus es, & non obſcura etiam commendatione proſequutus. de quo quidem honore, magis autem de honorifico applauſu gratiam habeo gratioſæ propenſioni tuæ tam tam, vt exequare meritum contentione quidem & voluntate poſſim, oratione vero mille poſt paraſangis claudicante ac reſtitante, non poſſim. nam quanti ſit à Clariſſimo viro perobſcurum hominem gaudenter ſpectari; ab Immortali heroë morti ſecundę ſubditum probari; à Deorum amico vulgarium amatorem in amicum vocari? Quæ quidem omnia tametſi factu perardua, mox tamen plana peruiaq. fecit Heroica virtus tua, cuius nimirum propriæ ſunt partes Heroas & heroica perpetuo tractare; ſi percurramus ea, quæ libris primum editis in Piſarum vrbe fortunatiſſima ſeu latina ſeu patria lingua tradidiſti; tum ſi recenſeamus ea, quæ ſecundo de progreſſu apud Romanos Philoſophię prodidiſti ſuperiori, hæc ſane generis & inclita ſunt omnia. Quare & ſuperior quam humana gloria tua eſt; vaſtum ingenium; incomparabile iudicium, admirabilis

hu-

humanorum ac diuinorum intellectus; absolutissimus naturæ totius & artis complexus. quæ vero κρίσις, καὶ δύναμις tua? quæ εὐφραδία? quæ ἀκρίβεια, καὶ πολυμάθεια? quarum omnium vna chorum ducit regina disciplinarum ἐγκυκλοπαιδία. quas ob res non vtique ad pedem, sed frigide perorauit magnus alioqui vir Gabriel Naudæus φιλολογίᾳ tua summa pro πανσοφίᾳ nominata. Ego te non alterius Politiani vel Hermolai, vel Rhodigini, vel Scaligeri, vel Lipsi titulis detrectem, verum Plutarchi genium in te descendisse contenderim, qui sapientiam cum eloquentia; historiam cum obseruatione politica; veteres narrationes cum recentioribus; Academiam cum Peripato, cumque Stoa; memorias exoticæ linguæ cum vernacula; græcam litterarum maiestatem, cum latino nectare copularit. Chæroneum igitur veteris eruditionis Antistitem, excultissime Paganine, refers. & vero sicut in eo, sic in Te tuisque scriptis quidquam exactioris doctrinæ desiderare non possumus. Tantum vnum aueo ex inreprehensibili Mercurio tuo rescire; quid fecit, quo minus Aur. Cornelium Celsum in Phisophia censueris tua Romana! An quod medicam scientiam coniugare cum eruditione Romana non instituisti? Ego vero, vt sensum operiam meum, peculiarem hanc rei notitiam anxiè sum rimatus & Cornelij præceptorem, & reliquas addiscentis eiusdem occasiones non oscitanter venatus. Nam Romæ scis, quam parum exculta medicina. Itaque

 incer-

ncertum est, an artem exercuerit vsu Cornelius, an tantum præceptione ac traditione attigerit! In quæ singula, si quid obseruasti reconditum, omniscie Paganine, paucis indica quæso. Ego quæ col- legerim iunior (scriptum quale quale reperi post longum inclusi fasciculo) velim acceperis. Ipse per ocium non dico, legas, cui semel dum vixeris renunciasti, vel per minores studiorum tuorum anfractus, ac per maiorem interquietem. Interim Vale, ac me nominis Amplissimi tui populares inter meos omnes admiratorem præconemque singularem & habe & nomina. Ipse vero mihi quandoque Patrocinator eris, cuius præcipuum in meis aduersus Aristotelem de respiratione generatim ac de Piscium priuata commentarijs iudicium appellaui. Vtinam autem valeam aliquando Celsam tuam vnquam adumbrare dignitatem, vel exporrectam erga te meam explanare voluntatem. Accedit ad Venerandam excellentiam tuam egregij speciminis, eruditionisque non inconditæ iuuenis, cui nomen Vernerio Ladingio Bremensi. Litteras hasce meas si gratuito exceperis, & hunc amicum, qui defert, gratuito tantundem exceperis, & in Adyta tua benignus introduxeris, oro. Rursus Vale, ac Seuerinum ama qui te suspicit, ac colit. scribebam meapte manu, Neapoli Idibus Aprilis A. CIↃDC. XLVI.

Alia

ALIA EPISTOLA AD EVNDEM

PAGANINVM GAVDENTIVM,

EXIMII VIRI

ANTONII BONONII

Iuriſconſulti, Rhetoricæ & politiorum litterarum interpretis Veterani & emeriti apud Pontremulenſes.

SALVE VIR ORNATISSIME,

CVIVS litterarum dulcedine ita captus ſum, vt præ lætitia vix in me ipſo capi, & nullo modo earum lectione expleri, ſatiarique poſſem: ijs enim mihi redditis omnibus inceſſi lætitijs, & plane gaudio exultaui, quod ego, qui nullus ſum, abs te ſummo polyhiſtore, eloquentiæque Antiſtite, ſummo Philoſopho, ſummo Theologo, & vt paucis perſtringam, eorum omnium, qui intimos Polymathiæ, atque Encyclopædiæ receſſus, & Sacra adyta penetrarunt, facile Principe dignatus ſim litteris tam officioſis, tam ele-

gantibus, tamque pura putaque latinitate refertis, cum haud tali me digner honore. Visne, non in terris orte sed de cælo delapse, ut id, quod res est dicam? Tu mihi animum, quem tamdiu despònderam, reddidisti, meq; fortunæ iniquitate iacentem, & prorsus abiectum erexisti, cùm me tam honorificè tractaueris, atque tua amplitudine non indignum censueris, me tam honesto & loco & numero censeri. Sed ego, quidquid honoris abs te accepi, id tuæ ingenuitati acceptum refero. Te igitur amo, quod tuarum litterarum testimonio apud meos ciues ornatum voluisti, eoque nomine tibi maximas gratias & ago & habeo, fateorque atque adeo profiteor me obæratum tuum semper tibi obnoxium fore. Meas orationes, illudque meum extemporale epigramma, quo vix ac ne vix quidem admirandam tui ingenij præstantiam, pæne dixi diuinitatem adumbraui, tibi probari mirum quantum gaudeo. Salutem tuis verbis dixi illis omnibus, qui te hic in magnificentissimi amplissimi & munificentissimi Viri Iacobi Curini magni illius Blasij filij ædibus degentem inuiserunt, teque tam promptè, tam eleganter, tamque ornatè differentem audiuerunt, qui tandem tibi duplicatam & infinitis partibus maiorem reddunt. Hi summis laudibus te ad astra tollunt, & admirantur ingenij tui acumen, tuam dicendi vim & copiam, verborum proprietatem, atque elegantiam, sententiarum grauitatem, alacritatem & promptitudinem in differendo, atque in respondendo ad omnia celeritatem & passim prædicant, te vnum instar Gorgiæ illius Leontini, qui quæstionem poscere consueuerat, posse de omnibus, quæcumque sub

di-

disceptationem cadere possunt, in frequenti vel conuentu, vel consessu aptè, ornatè atque eleganter & dicere & disserere. At ego præter ista, quæ quidem tanta sunt, quanta maxima esse possunt, in te etiam admiror animi tui candorem, incorruptos mores, eximiam boni publici curam, et summum de omnibus bene merendi studium, vt iure optimo, meritoque orbis totius ornamentum atque naturæ ipsius prodigium quoddam atque miraculum indigitari dicique possis. Tibi igitur gratulor & Pisis, quæ te vno eloquentiæ & laudatarum artium professore non exigua multitudine tui vnius causa ad Pisanum Gymnasium confluente, multo magis celebres sunt quàm olim Pisa illa suis olimpionicis: non paruo coetu hominum ex omnibus Orbis terrarum partibus ad olympicos ludos, qui quinto quoque anno celebrabantur, spectandos eo concurrente. Hic gliscens fert animus in longe latèque patentem tuarum laudum campum excurrere. Sed Cynthius mihi aurem vellit, monens ne me ipse velim huic tam operoso operi accingere, nullum profecto vmquam dicendi finem reperturus. Quare hîc calamum sisto, tibi plurimam salutem Francisci filij mei nomine impertiens. Vale & iterum Salue, meque dilige, vt olim Tullius Tyronem suum, habiturus semper

Addictissimum tibi

Me Antonium Bononium

Pontremuli Anno CIↃIↃCXXXXVI. VII. Cal. Febr.

In-

Index operum à Paganino Gaudentio hactenus editorum, tam Etrusca quam latina lingua.

Latina hæc sunt.

DE Dogmatibus & Ritibus *Veteris Ecclesiæ observationum pars prima, & secunda. Romæ apud Fr. Corbellettum.*
Velitationes *aduersus Danielem Chamierum, Romæ apud eundem.*
Iuridicæ expositiones *Cum additamento Critico. Florentiæ apud Sermartellios.*
Instar Academicum *Florentiæ Typis Amatoris Massæ & Laurentij Landi.*
Chartæ Palantes. *ibidem apud eosdem.*
De Iustinianæi Sæculi moribus *pars prima, & secunda. ibidem ijsdem Typis.*
De Prodigiorum significatione. *Florentiæ Typis Massæ, & Landi.*
Obstetrix literaria. & Epigrammata Noua. *ibidem.*
De Comparatione dogmatum *Origenis cum Philosophia Platonis.*
Salebræ Tertullianeæ.
De vita Christianorum *ante Constantinum. ibidem.*
De euulgatis Romani Imperij Arcanis.
De Funere Heroum,
De funere Cæsarum. *ibidem*,
De Pythagoræa animarum transmigratione,

De

De Aristoteleo Veterum contemptu,
De Iuliani Imperatoris Philosophia,
De Aperipato Iulij Cæs. Scaligeri, *ibidem*.
De initio, & Progressu Philosophiæ apud Romanos. *Pisis MDCXLIII.*
De Errore Labyrintheo Sectariorum huius temporis. *Pisis* 1644.
Conatus nouus in Genesin, *ibidem et eodem anno*.
De Veterum Ecclesiæ Patrum Philosophicis opinionibus *ibidem et eodem anno*.

Etrusca autem hæc.

L'accademia Disunita. *in Pisa appresso Fr. Tanagli.*
I Confini regolati. *appresso l'istesso.*
Le Singolarità delle Guerre di Germania. *in Firenze appresso Am. Massi et Lor Landi.*
Reintegrazione de' Poeti, *appresso l'istessi.*
La vita di Cleopatra. *in Pisa nella Stampa delli stessi*
Della Peregrinazione Filosophica. *in Pisa* 1644.
Accrescimento della Disunita Accademia *in Pisa*. 1644.
La Vita d'Alessandro il Grande, *in Pisa* 1645.

In

In laudem operum

PAGANINI GAVDENTII

EPIGRAMMA

Nobilissimi & eruditissimi adolescentis

FERDINANDI COMITIS

DEL MAESTRO.

HOrrida nox tumulo tenebrarum (funerat orbem,
Funereasq. vocat sidera ad inferias.
At sol exoriens formaq. & luce carẽtes
Nocturno terras extrahit e tumulo.
Sic quas atra premit, Gaudenti, obliuio (mentes
Non sinis æterno carmine posse mori.
Dat sol corporibus perituris viuere; (sed tu
Sol Animi, æternum viuere das (animis.
Æternis quanto cedunt mortalia; tanto
Phæbeo maius sidere, sidus ades.

Cum

Cum in exercitatione ad historiam Famianæam fiat mentio prodigiorum & monstrorum, & præsagitionis ex ipsis, lubuit hic attexere Etruscum carmen Francisci Redij, nobilis Arretini Philosophiæ & Medicinæ candidati egregij, Iuuenis græcè, latinè & Etruscè docti, adque omnem elegantiam, eruditionemque facti.

All' Eccellentissimo Sig.

PAGANINO
GAVDENTIO,

Per il suo eruditissimo discorso de' Mostri, e prodigi dell'anno 1646.

MADRIGALE.

FRA tuoni d'Eloquenza oh come bene
Con amabil fierezza, a noi dimostri
Da i Prodigi, e da i Mostri,
Ciò che sperar', ciò che temer' conuiene.
Ne merauiglia prenda,
Chi tè di lor gran dicitore intenda.
Tù discorrer ne dei,
Che di saper' si nobil Mostro sei.

De nomine eiuſdem

PAGANINI GAVDENTII

DISTICHON

Compoſitum à celebri Viro

ANDREA MARIANO

MEDICINÆ IN ARCHI-

Gymnaſio Bononienſi Profeſſore.

Nomine cum referas fontes & gaudia, (quis te
Purior eloquio, lætior ingenio?

Approbationes: approbatio exercitationis ad Famianæam historiam.

Excellentiss. D. Chesius videat præsentem Librum Excellentiss. D. Paganini & referat.

Petrus Augustinus Can. & Vic. Subst. Gen. Pis.

Reuerendissime Pater

Vidi, & diligenter perlegi exercitationem suprascriptam ad Famianæam historiam de Bello Belgico, Excellentissimi, & Celeberrimi D. Paganini Gaudentij, in qua nihil quod Catholicæ fidei, quod bonis moribus aduersetur, inueni, quinimò omnia tanto Viro digna, cuius ingenium, liberumque de rebus Iudicium eo laudabilius, bonisque probandum, quod rectum & ad Ciuilem vitam omnium cum tranquillitate transigendam institutum, candidam Authoris mentem, operam bono publico insumptam ostendit.

Tuæ D. Reuerendiss. deditissimus Bartholomæus Chesius

Stante relatione scripta Imprimatur cum consensu Reu. P. Inquisitoris.

Petrus Augustinus Can. & Vic. subst. Gen. Pis.

Per Illustris & Excellentiss. D. Iosephus Lupus videat & referat.

Fr. Ludouicus Inquisitor Pisarum.

Cum exercitatio ad Famianæam historiam de Bello Belgico Excellentissimi, ac Doctissimi Viri D. Paganini Gaudentij, nihil in se contineat Christianæ fidei, bonisuè moribus inimicum, merito arbitror,

quod Typis excudi queat, ad Eruditissimi Authoris Gloriam, & publicam omnium vtilitatem.

Ego Ioseph. Lupus IC. & in Pisano Gymnasio Iuris Ciuilis Professor.

Imprimatur die 25. Ottobris 1645.

Fr. Ludouicus Inq. Pisarum.

Alexander Victorius Senator Serenissimi Magni Ducis Auditor.

Approbatio appendicis exercitationis ad Famianæam historiam.

Imprimatur seru. seruandis Abbas Lantes Vic. Gener.

Perillustris & Excellentiss. D. Iosephus Lupus videat & referat.

Imprimatur Fr. Ludouicus Inq. Generalis Pisarum.

Approbatio Carminum, quę adduntur exercitationi.

Imprimatur cū consensu R.P. Inquisitoris die 15. mense martio 1646

Petrus Augustinus Can. & Vic. sub. Gener. Pisarum.

Perillustris & Excellentiss. D. Iosephus Lupus videat & referat.

Fr. Ludouicus Inquisitor Generalis Pisarum.

Approbatio XIX. Diatribarum in Tacitum.

Imprimatur seru. seru. Abbas Lantes Vicarius Generalis.

Perillustris & Excellentiss D. Iosephus Lupus videat & referat.

Fr. Ludouicus Inquisitor Generalis Pisarum.

Reuerendissime Pater.

In his Diatribis XIX. in Tacitum Excellentissimi D. Paganini Gaudentij Theologi & IC. Viriq. Doctissimi nihil offendi quod bonis moribus Christianæuè religioni contrarium sit. quare.

Ego Iosephus Lupus IC. in Pisano Gymnasio Iur. C. Interpres.

Imprimatur Fr. Ludouicus Inquisitor Generalis Pisarum.

Alexander Victorius Senator Sereniss. Magni Ducis Aud.

Approbatæ etiam sunt Epistolæ, & præfationes, & alia carmina, vt videre licet in ipso autographo, Vicarij Generalis, P. Inquisitoris, & Auditoris Magni Ducis.

IN-

INDEX ALPHABETICVS

RERVM PRÆCIPVARVM

Curio

SCRIPTORES

In hoc opere citati, expositi, defensi, aut quandoque notati.

Acta Apostolorum.
Aristoteles.
S. Augustinus.
Barclaius vterque.
Bellarminus Cardinalis.
Cicero.
Dio Cassius.
Diodorus Siculus.
Famianus Strada sæpe.
Florus.
Franciscus Blondus.
Galenus.
Guicciardinus.
Heinsius.
Herodianus.
Iosephus historicus.
Liber Iudicum.
Lipsius.
Liuius sæpe.
Moses propheta.
Petronius.

S. Petrus.
Philo.
Plinius vterque.
Polybius.
Polydorus Vergilius.
Seneca.
Sigonius.
Strabo.
Tacitus toto fere opere citatus & sæpe defensus contra Famianum.
Tertullianus.
Thomas Smith.
Velleius Paterculus.
Zonaras.
Zosimus.

E R R A T A.

p. 5. *lin.* 2. *asseruerim.*
7. 25. *annales.*
10. 14. *belgicum bellum.*
42. 17. *longinquo.*
111. 22. *totam.*
160. 24. *sacrorum.*
291. 11. *faciat.*

De

DE LITTERIS

A P. SFORTIA PALLAVICINO,

E SOCIETATE IESV,

Genere, doctrina, & pietate tota Europa Illustrissimo

Ad authorem exercitationis datis V. Cal. Febr.

AD me litterulas dum dirigit inclitus ille
PALLAVICINVS, Palladis vnus amor;
Palladi vicinus videor funesta Medusæ
Ensifera, Victor colla secare manu.

Idem Etruscè.

MEntre il Pallauicino,
Le cui somme virtù lampeggian note,
M'honora con sue note,
Parmi di starà Pallade vicino,
E dell'atro liuore
Facendo scempio incoronar l'honore.

An-

Author exercitationis ignosci sibi cupit à conditore historiæ Belgicæ P. Famiano Strada.

DA veniam generose Pater, si forte libellũ hunc
Sum passus cursu liberiore rapi.
Verum etenim arcana vix enarrabile sede
Conditur, aut varia nos ratione fugit.
Ergò meos deinceps, Strada inclyte, dirige gressus;
Vt templum sophiæ rectus adire queam.

AVTHOR

AD LIBRVM SVVM

Quo te fata vocant Taciti, liber, i pede (fausto,
I Iatiæ dextro Palladis auspicio.

PISIS

Ex Typographia Philippi Papini.
Superiorum Permissu. 1646.